

180
A. & Ω.

PARASTATA,
MAGNIFICO VNIVERSITATIS
RECTORE
DAN. GVIL. MOLLERO,
HISTOR. ET METAPHYS. P.P.
FABVLAM MONTE
FIASCONIAM,

III A 121
9.

b. r.
DISQVIVISIONEM HISTORICAM,

Qvâ ostenditur, commentationem habere, quæ vul-
gò circumferuntur de Bibulo quodam Germano, in Italia oppido,
Monte Fiascone, nimio vini Muscatellini potu extincto, atq;
Epitaphio inde ter repetitâ œnoencomiasticâ
vocolâ EST notabili exorto,

P. P.

JOH. JACOBVS GEYSIVS,

WINDSHEMIO-FRANCVS.

D. Jun. A. R. M. clc lxxx. 4

ALTDORFFI,

Literis Henrici Meyeri, Acad. Typogr.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS 311

LECTURE 1

MECHANICS

PROBLEM SET

1998



I. S. N. J.

SERMONCVLVVS LIMINARIS.



Non dubito fore plerosq, amice Lector, qui hoc genus dis-
putationis, leve & non satis dignum Academicorum Vi-
rorum Confessu judicent, cum relatum legent, quis Titu-
m Sepulchri posuerit in Italia, ex nimio, ceu dicitur,
Muscatellini vini haustu mortuo Germano; aut in ejus
virtutibus commemorari, bibisse eum strenue, ac bonitate
vini allectum, calicibus evacuandis ad mortem usq, indul-

asse. Sed hie erunt ferè, qui expertes Disputationum hodie in plerisq, Ger-
manie Academiis haberi solitarum, nihil rectum, nisi quod ipsorum inge-
nio conveniat, putabunt. Hi, si didicerint, non eadem omnibus bonarum
artium Studiosis esse grata atq, abjecta, sed omnia eorum voluntate ac ar-
bitrio judicari: non admirabuntur, nos in pervulgato Epitaphio Fiasconio
exponendo mores plurimorum secutos. Neq, enim cuiquam fuit turpe, dis-
putationem publicam habere de Onophagiâ: quippe cum Silesie incole
inde sumto impeterentur proverbio, in causam ejus rei accuratius inquire-
re nemini vitio habetur. Laudi in Academiis olim ducebatur Studiosis
quamplurimas varii argumenti habere dissertationes: Nullus Musarum
alumnus tamerit laudis incurius, qui non ad eam parandam iverit publico
aliquo vite sue Academicæ specimine exhibito. Magnis in laudibus ev-
superiore tota fuit Germania, nobili stirpe natum Theologie studiis incum-
bere, in Jure verò Honorum Academicorum & titulos capessere & gra-
dus, nemini in eadem terrâ fuit turpitudini. Que omnia hodierni genio
seculi partim infrequentia, partim humilia atq, a verâ Nobilitate remota
ponuntur. Contra ea, pleraq, Philomusis sunt decora, que apud Miso-
musos turpia putantur. Quem enim literatorum pudet in Historie veri-
tatem inquirere? aut cujus animus non cupit multa, haud rarò etiam levis-
sima scire, atq, in scrutinio causarum versatur? quod multò fit aliter in
Scholasticorum Philosophorum sodalitiis. Nam neq, in disputationem ali-
quid adhibetur, nisi valdè curiosum: neq, disquiritur, nisi de aptitudi-
nalitatibus, passionabilitatibus. & de innumeris aliis hujus fursuris con-
troverfiis. Quorsum nemo facile inclinât, nisi eodem perniciose subtilitatis
vertigine correptus. Sed plura persequi tum pervagata Rei ipsius fama
prohibet, tum ordo, ut ea explicem, que exorsus sum. Quare ad propositum
veniens & in hac exponemus Disputationis Epitaphium Biboni, ceu dici-
tur, cuidam Germano in Italiâ factum.

CAP. I.

DE HISTORIÆ, ut vulgò circumfertur,
DIVERSA NARRATIONE.

§. I.

PRæter famam de interitu ac epitaphio Bibonis cujusdam Germani in vulgus jamdudum sparsam, Historici seu potius Apodemici scriptores eandem literis consignare atq; posteritati tradere nequaquam veritatis sunt, ex more forsan uti antiquis temporibus, ita nunc, bene ne an malè non dicam, recepto, quo singula sine ullo discrimine vel visa vel audita illicet in Hódæporicos libellos conjiciuntur, & vice veræ historiæ communi ore circumferuntur. Ordinis igitur & Argumenti quoq; ipsius rationem flagitare neminem credo facile infitias iturum, ut priusquam ad Examen Rei quam tractamus, longius abeat, aliquos Autores, quos quidem in curtâ meâ supellectile librariâ reperire hâc vice potui, adducerem, indeq; Historiam hancce cum circumstantiis omnibus excerptam Lectori ante oculos ponerem, quo & meliorem ipsi de eadem judicandi facultatem subministratam, & mihi uberiores certioresq; in ejus veritatem inquirendi materiam relictam fore non prorsus dubitaverim.

§. II. Primò autem inter scriptores istos loco apparet PAUL. HENTZNERVS, cujus hæc sunt verba pag. 353. §. 539. *Itiner. Ital.* Ex quorum (vinorum Muscatellinorum) nimia ingurgitatione, cum Sacrificulus quidam valde bibulus hic (in Monte Fiascone) esset demortuus, servus ejus in perpetuam rei memoriam loco Epitaphii; in lapidem sepulchralem hæc verba incidi curavit; Propter Est, Est Dominus meus mortuus est; Binâ enim istâ vocis EST inscriptione in ædibus publicis seu diversoriis, & per servum, qui herum justo intervallo eqves præcedebat, factâ repetitione, vinum notabatur optimum. Huic testi succenturiatur JOH. RAUW cap. 8. p. 250. *Cosmogr.* inquiriendo: Man referirt in dieser Stadt (Monte Fiascone) ein Historiam von einem Bischoff/ der sich an dem guten Wein (Muscateller) soll zu tod gesoffen haben / und weil der gute Herr denselbigen Wein Est; Est, genennt hat/hab ihm sein eigen Diener dies Epitaphium gemacht; Propter Est, &c.

§. III.

§. III. Quibus Authoribus non multum dissimilem invenio
 Jo. HENR. à PFLAVMERN pag. 156. *Mercur. Ital.* scribentem; Et
 jam multis abhinc annis Falisci Bacchi quidam Cultor cum illac
 transfret, ut transibat sæpissimè, famulum solitus erat præmittere,
 qui omnes opidi (Monte Fiascone) vinarias cellas perlustraret, in-
 quireretq; optimum vinum; quo reperto inscriberet foribus bea-
 tæ illius cauponæ: *Est, Est.* Ibi sitibundus herus divertebat, cole-
 batq; impensè suum Bacchum: Discite ab unius exemplo vos, qui
 ejusdem Dei numini devoti estis; quod ille præmium tulit, vos
 quoq; manet: applevit autem corpus ita vino, ut animam ejice-
 ret. Exanimi ergo illacrymatus famulus lepidum hoc epitaphium
 composuit & saxo insculpi curavit: Propter Est, &c. Neq; ferè
 aliter M. ZEILLERVS, qui folio 133. *Ital. Nov-antiq.* annotavit
 seqq. Aber wieder auf unsern Monte Fiascone zu kommen / so ist sol-
 cher Ort wegen des herrlichen Weins / so da wächst / sonderlich berühmt.
 und ist bekannt daß ein guter Zechbruder / wann er hiedurch gereist / alle-
 wegen seinen Diener vorangeschickt / daß er in den Wirthshäusern den
 besten Wein hat kosten / und an die Thür schreiben müssen / Est, Est, oder
 ist; daselbst dann der gute Herre ingekehrt hat. Als er aber dieses lieb-
 lichen und köstlichen Muscatellers zu viel getruncken und darüber sein Le-
 ben gelassen / so hat ihme besagter sein Diener die Grabschrift gemacht /
 und in einen Stein graben lassen: PROPTER EST, EST &c. Sic
 etiam novellum Scriptorem, ADOLPHVM THEODORVM HERBVRR,
Memor. Europ. eandem hanc fabellam, ceu recentiorem qui-
 dem inseruisse memini, quando ait: Monte Fiascon liegt auf einem
 Berg in Italien / welcher einer Flaschen gleich siehet / davon die Stadt
 den Rahmen hat. Es wächst allda der beste Muscatell in ganz Ita-
 lien / an welchen sich ein Prälat vor dreyszig Jahren zu tod getruncken /
 und allda begraben lieget; auf den Grabstein stehen diese Wort: Pro-
 pter est, &c. welches Epitaphium ihm sein Diener gemacht. Dann
 derselbe mußte allweg ein wenig dem Prälaten vorreiten / und / wo er
 einen guten Muscateller Wein angetroffen / schrieb er an die Thür Est,
 Est, wann nun der Prälat dieses Wahrzeichen gesehen / stieg er also-
 bald ab / tranck tapffer darauf / so / daß er endlich sein Leben darüber
 eingebüßet hat.

§. IV. Liceat jam LVDOV. HENR. LOMENIVM, *Brienne Co-
 mitem* adducere, cujus verba ex pag. 70. *Itiner.* desumpta ita sonant:
 Sacra loca iustraturus, Religionis ergò, Fugius Ecclesiastes, fa-

mulum quæ in vino fidelem expertus erat, antemittebat præ-
gustatorem, ut delibata meri saliva indicium cauponarum ostiis
cretâ affigeret, hoc monosyllabo EST, duplicato, aut etiam tri-
plicato pro Vini Substantiâ. Uva Fiasconia minimum Falernæ
invidens triplicem notam commeruit. Herus nullatenus suble-
stam fidem combibonis servi expertus, etiam fatali experimen-
to innumeris cyathis animam impendit: munera adscriptis pro-
missis ex fide Germanica uberiora ferens. Non aliter Aleman-
nus, si sacram dignitatem demas, dignus erat annos deponere.
Afflictus famulus hoc Epitaphio, etiamnum Lyzum & sincerum
cor redolente, suum mœrorem testatus est: EST, EST, &c. Cui
Anonymum quendam subjungere lubet pag. 134. Ital. Descript. edit.
An. 1640. *Ultrajecti* taliter verba facientem: Germanus quidam
Bacchicola quingentos ante annos transiens hoc Tusciæ oppidum
(Monte Fiascone) vinum reperit suavissimum, atq; palato suo per-
quam gratum, unde occasione sumtâ illic diutius commorandi,
non tantum largiore potu sibi mortem acceleravit, sed epigraphen
etiam sanctè adhuc hodiè custoditam à famulo istam impetravit:
E. E. E. &c. trinâ enim hâc Voculæ EST repetitione abs Hero vi-
num optimum notabatur. Commodum quoque nunc FRANC.
SWERTIVS in manus mihi venit, cujus hanc reperio historicâ nar-
rationem in *Epitaphiis fœco-seriis Latin* p. 118. Epitaphium, inquit,
cujusdam Germani: In monte Faliscorum obiit hic bonus vir, ni-
mia vini ingurgitatione. Habebat enim pro more, iter faciens,
ut famulum præmitteret, qui de optimis hospitiiis quæreret, & quæ
melioribus essent instructa vinis. Adveniens igitur, ex famulo
quæsivit, an esset bonum vinum; famulus ut vini bonitatem magis
exprimeret, respondit, EST, EST, & vocem duplicavit. Mortuo
itaq; domino, famulus illi hoc Epitaphium pos. Propter, &c.

§. V. Omnium autem optimè retulisse mihi eadem hæc vi-
detur *Celsissimus Dux Saxonie, FERDINAN-*
DVS ALBRECHTVS, Princeps Bevern-
sis, Mirabilisq; hodiè titulo eminens, dum germano pariter
pectore styloq; ipse *avriani* pag. 96. §. 159. *Itinerarii à mirabilibus*
Accidentibus denominati, ejusdem narrationem instituit: *Darnach*
reiset der Wunderliche durch die Stadt Bollena, wiederum durch
Gehölz

Gehöls und Berge/ bis vor die Stadt Fiascone: Es liegt eine Kirche nicht weit von dem Wirthshaus abseits vor der Stadt S. Flaviano benahmsetz vor Alters der Thurnsoll gewesen seyn/unter dieser Kirchen ist noch ein andere gebauet / in welcher vor dem hohen Altar ein Bischoff in seiner Kleidung abgebildet/begraben/über dessen Haupt zwey Wapen mit zwey Schilden/darunter zwey Kelche bey dem Munde in Stein gehauen/und mit alten Buchstaben dieses zu lesen: EST, EST, &c. Dieser Bischoff hat wollen aus Teutschland nach Rom reisen/wie er aber den herrlichen Muscateller-Wein zu Monte Fiascano gekostet/un bey dessen Truncß öftters gesagt: Est, Est, Est, Es ist ein guter Wein/hat er denselben also mißbraucht/das er allda gestorben / und von seinem Diener mit dieser Grabschrift begraben worden. Im Testament hat er vermacht/ das jährlichen am Pfingsttag sechzig Flaschen Wein auf seinem Grabstein/von den Armen auf seine Gesundheit sollen ausgetruncken werden/welches lange Zeit in Acht genommen / aber heutiges Tags vor den Werth den Armen nur Brod und Wein ausgetheilet wird.

§. VI. Ultimo meam quoq; subtexam narrationem, atq; rem ipsam, partim ut Anno clō lōc LXVII. gestam auribus hausi, partim ut oculis vidi, exponam: Urbs est Episcopalis Italiae, hodie *Monte Fiascone* appellata, in Hetruria juxta Lacum Vulturnum, in monte, Lagenæ non absimili, posita, extra quam per exiguum diversorium Bolsenâ per sylvas montesq; huc proficiscenti à dextro latere objicitur, & à sinistro, depresso paulum in loco, Templum S. Flaviano (secundum Nonneminem verò minus rectè S. Breniano vel Breviano, cui enim quæsiō hæc Sanctorum nomina nota unquam, nedum celebrata fuere?) dedicatum oculis conspiciendum exhibetur, quod ipsum intranti aliud subtus exstructum aperitur, ubi ad summi Altaris pedem Saxum aliquod sepulchrale magnitudine suâ notabile stratum invenitur, cui figura Episcopi staturam virilem referentis, habitumq; dignitati ejusmodi convenientem repræsentantis, nec non suprâ caput, præter gemina insignia, duo calices sive pocula insculpta videntur, adjectis literis Latinis ob antiquitatem lectu difficilioribus: ad extremitatem autem dicti saxi alius quidam lapis quadratus exiguae quantitatis jacet, epitaphium literis Latinis recentioribus expressum in se continens hocce: EST, EST, &c. Nimirum causam Epitaphii hujus incolæ reddituri, ajunt, fuisse ante aliquot secula Episcopum quendam Germanum, qui religionis gratiâ Ro-

etiam petiturus, oppidum hoc Italiae monte Fiescone transiverit; ibique vinum Muscatellinum optimum bibendo lapis elliptice vocatum EST ad repetitos varios haustus in ore habuerit, quia etiam insuper ejusdem colore, odore ac sapore illectus, avariter merum in se ingurgitaverit, atque interitum sibi acceleraverit, postquam testamento quatuor millia thalerorum Pontifici Romano commendasset, ex quorum annuis redditibus non tantum omni Festo Pentecostali pauperes centum lagenas Muscatellino vino repletas in defuncti memoriam super lapide sepulchrali exhaurirent, sed etiam una lagena super eundem effunderetur: Quae quidem consuetudo aliquandiu viguerit, hodie tamen eadem penitus sublata in eleemosynas pauperum abierit. Servus fidem, quam saepius vivo Hero suo demonstravit, mortuo pariter exhibiturus Epitaphium paulo ante allatum breve simul ac non adeo illepsum lapidi creditur incidi curavisse.

CAP. II.

De multiplici Epitaphii relatu.

f. 1.

Imortalitatis memoria Patres Majoresque nostri res aliquas prosequuti, sedulo in id incubuere, quo eadem firmiori ac diuturniori materiae inciderentur: quam etiam ob causam rigentia saxa, ingentia marmora, moleque sua terribiles Lapidis summa sollicitudine conquisiti fuerunt, quibus stylo, aut cetero aliove instrumento ductae litterarum notae impressae vane admodum aeternitatis credebantur, quas Horatio lib. III. Od. XXX. canente:

*nec imber edax, aut Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, & fuga temporum.*

Et quamvis bene mihi notum sit in solis lapidibus atque saxis haudquaquam fuisse mortalibus conjuratum memorias rerum consecrare, cum praeterea aes, aurum, argentum, ebur, plumbum, ferrum, charta, linteum, papyrus, cera, arborum folia, cortex, truncus, tabula, testa, argilla, textam & membrana iisdem usibus adhibebantur, attamen quod Saxa, lapidesque paratilliores, quod ingenio indomiti magis ad aevi injurias, & quod molli quantitate ad operum

rum magnificentiam accommodatiores sunt, non tantum frequentiore eorum usum prioribus temporibus quam hisce quoque nostris illum adhuc perdurantem firmiter satis evicerint.

§. II. Non potuere autem unquam, graphio licet acutissimo, ejusmodi quibuslibet lapidibus incidi literæ, quæ vel conflata ventis tempestate & imbribus non abolerentur, vel frequentioribus in- & per-ambulantium gressibus non extererentur, vel in alium quemvis modum diuturniore temporis usu non exederentur vel saltem minus bene conspicue redderentur: Unde factum esse opinarer, ut plurimarum hodie quidem extantium typisque expressarum inscriptionum exempla, si non a prototypo aliena prorsusque immutata, certe aliam quavis ratione plurimum depravata inveniantur; ceu ex antiquariorum Principis JANI GRUTERI insano illo volumine constare poterit, quo extantem tunc quidem marmoribus Romanum Orbem antiquum Herculeo labore complexus est, ita scribente OCTAV. BOLDONIO in Epigraph. lib. 2. p. 74. col. A, quamvis lapidearum inscitiam, marmorariorum nequitiam, scalprorum aberrationem, Celtiumque nimis vel minus profundam impressionem, præter plures alias errorum causas, haud exigua quoque mendis monumentorum occasionem præbuisse semper autumaverim.

§. III. Accedit, quod compendia Vocum olim usitata, nec non innumeræ abbreviationes, decurtationes & contractiones dictionum operibus ejusmodi publicis tam licentiam commentariorum, quam frequentiam scriptorum insertæ, hac nostra ut plurimum ætate obscuritatem cum dubietate insigni lectorum animis ingenerent: ut de quam plurimis sublestæ fidei inscriptionibus, supposititiis lapidibus, spurisque literarum notis nunc nihil afferam; quarum tamen maximam copiam, talium cupido, ad calcem voluminis Gruteriani reperire licuerit. Posteaquam auri sacra fames eorum mortalium adegit pectora, ut dum pretium ingens apud eruditos esse Manuscriptis, præsertim probatoribus, ex antiquitate depromtis animadvertentibus, varios modos invenirent, quibus papyro atque scriptioni etiam recentioribus, antiquitatis aliqua æstimatione, per mille artes & fraudes comparata, accederet, adeoque quam plurimo venderent: mox etiam numismatum paracharagmata, picturarum supposititii protypi, statuarum fucata ætas, & monumentorum colorata vetustas insequuta est, quibus credula illa nimium tempora haud cunctanter fidem adhibentia posteris du-

bitationis palæstram aperuerunt, in qua sæpè non sine lapsus periculo iudicii vires experirentur.

§. IV. Simile quid ferè accidisse cuiquam videri possit, cum illo sc. elogio extincti, eui dicitur, nimio muscatellini vini potu in Italia Germani sepulchro inciso, & adhuc hodiè peregrinatoribus ostendi solito, nisi quis forte adicere prioribus averet, nimiam uti Gallorum sic Italorum etiam Germanos ob ebrietatem & siticulosam naturam potissimum redarguendi olim nuncq; usurpatam licentiam. Et quidem Epitaphium illud multiformiter à diversis scriptoribus atq; peregrinatoribus proponitur, prout nempe vel propriis oculis inspectum, vel relatione alienâ acceptum est. Referam utriusq; circumstantiæ exempla, non autem sine præviâ distinctione: Quamvis enim oculis factæ experientiæ plurimum tribuendum esse noverim, tamen ab oculis corporaliter se rectè habentibus & mentaliter insuper illuminatis profectam contemplationem illi anteferrem, quæ ab oculis quoquo modo impeditis aut saltem mentaliter obscuris perficeretur, neq; fugitivis etiam & cursoriis eam fidem attribuerem, quam oculis intentis & in rem aliquâ summo studio defixis. Quapropter Lectori liberû fuerit, huic vel illi avtoptæ tales vel alios oculos in observatione FIASCONII EPITAPHII fuisse cogitare, Ego interea exempla aliquot producâ tam eorum qui propriis oculis illud observatum, quam eorum, qui quocunq; modo id ipsum relatione acceptum literis consignarunt.

§. V. Primò nominare lubet PAUL. HENTZNERVM, qui in Itiner. Ital. pag. 353. Epitaphium ita proponit: *Propter Est Est, Dominus meus mortuus est.* Secundo JOH. RAVW. cujus hæc in Cosmogr. cap. 8. p. 270. prostat de Inscriptione illâ scriptio: *Propter Est, Est, Dominus meus mortuus est.* Tertio, JOH. HENR. à PFLAUMERN, Epitaphium recensentem h. m. *Propter Est Est, Dominus meus mortuus est.* Quarto MARTINVM ZEILERVVM, virum, cui ferè nulla dies vel hora abiit, quin linea ducta superfuerit, is in Itinerario Italiae Novæ antiqvæ fol. 133. ita illud retulit. *Propter Est, Est, Dominus meus mortuus est.* Quintò, ADOLPH. THEOD. Herbur in Memorabil. Europ. prorsus eadem verba eodemq; ordine locata habentem. Sextò FRANC. SWERT. qui in Epitaph. Joco-ser. Lat. p. 118. itidem tali modo Epitaphium apposuit. Septimò, LVDOV. HENR. LOMENIVM, in Itinerario suo Latino, curante Car. Patin. A. 1662. Parisiis edito, pag. 70. *avtoptæ* beneficio Inscriptionem Fiasconiam annotatam refert. h. m. EST.

☩: (II.): ☩

EST. EST. EST. PROPTER. NIMIVM. EST. HIC.
JO. DE. FVG. D. MEVS. MORTVVS. EST.

Osavò, Anonymum quendam in Latinâ Itallæ descriptione
A. 1640. Ultraj. in 12. editâ pag. 134. hisce verbis eandem Inscr-
ptionem absolventem :

E. E. E. PR. TR. NIM. EST. H. JO. D. FVG.
D. MS. MORTVVS. EST.

Nondò, Ferdinandum Albrechtum, Ducem illum Mirabilis cogno-
mine insignitum, ad instar Ottonis III. Imp. quem Miraculosum
& Mirabilia mundi cognominatum fuisse non ignotum fuerit, alle-
gasse juvat, is in Itinerario Germanico, cui Titulus est: *Wunderli-
che Begebenheiten des so genannten Wunderlichen* §. 159. p. 96. Epita-
taphium ita profert :

*Est, Est, Est, PPr. (propter) nimium
Est hic Jo. D. Fuc (Fec) D.
(Dominus) meus mortuus est.
M. C. XIII.*

Derindò, me quoq; ipsum quid quæso prohibuerit citare, dum enim
libellum meum hodieporicum evolvero, invenio me illic locorum
versatum annotasse seqq.

EST EST EST PROPTER NIMIVM
EST HIC JO. DE FVG.
D. MEVS MORTVVS EST.
M. C. XIII.

Plura equidem Autorum plurium Exempla Epitaphium hocce ad-
umbrantia æquè ac exprimentia libenter afferrem, si modò plures
mibi hoc tempore ad manus essent, vel alios idem illud proponen-
tes aliud quid à jam allatis habere comperire potuissem. Præsenti-
bus igitur ut acquiescam, necessitas imponere, rei q; ipsius ratio
exigere videtur.

CAP. III.

De Hero nimio vini Muscatellini potu extincto.

§. 1.

In agerato circumstantiam *Qvis*, gemina offertur persona con-
sideranda, altera quidem Sepulra, & Epitaphii atq; Templi ho-

nore mactata, altera si non sepeliens, Epitaphio tamen lepidissimo causam intereuntis Heri exprimens. Utriusq; uti accuratior cognitio plurimum ad fidei historice stabilimentum facit, sic nimis obscura eadem vel dubia, vel varia, vel prorsus nulla haud parum eidem derogaverit. Dum ergo in sepultæ personæ Nomen, Patriam, Parentes, ætatem, vitæq; genus inquirere methodi ratio jubet, pauca admodum suppetunt, quæ indagatoris cupiditati, quocunq; tandem etiam modo satisfacerent: *Nomen* quippe quod attinet, id vel variè, vel abbreviatè, vel corruptè, vel prorsus non expressum invenitur.

§. II. Atq; ut Autorum ipsissima verba producam, quæ circa hanc Argumenti præsentis circumstantiam reperire licet; pleriq; silentio Nomen involvendo, præter indefinitam subjecti sepulti mentionem, nihil quicquam aliud afferunt. Sic PAUL. HENTZNERO in Itinerario Italiæ consulto, dicendum foret ex pag. 353. *Sacrificulum quendam valde bibulum mortuum esse*, aut si ex Epitaphio illic allato aliquis nomen excerpere averteret, non aliud, quam duo ista: *Dominus meus*, offenderet. Quis autem Dominus ille, qualeq; nomen sacrificulo, tacetur. Neq; JOH. HENR. à PFLAVMERN alia responsione desiderium alicujus impleverit: Mercurio enim ejus Italico inspecto, *Faliscæ Bacchi quidam Cultor*, inq; Epitaphio similiter voculæ istæ duæ, *Dominus meus*, comparebunt. Eandem planè mentem M. ZEILLERO fuisse quilibet animadvertet, dummodo Itinerarium ejus Italiæ cap. 5. fol. 132. col. 2. num. 31. perlustraverit, ubi puta Germano idiomate ein guter Zechbrüder indigitatur, atq; in Epitaphio *Dominus meus* appellatur. Hunc etiam in modum JOHANN. RAVW scripsisse comperiet, quicunq; Cosmographiam ipsius cap. 8. pag. 150. obiter saltem legerit, quippe ibidem, *der gute Herr* / nec non in Epitaphio *Dominus meus* occurrunt. Anonymum supra productum quod attinet, *Bacchicole* nomen in historiæ recensione adhibitum Epitaphioq; JO. D. FVG. & D. MS. inserta esse, comperietur. SWERTIO quidam Germanus, itemq; bonus Vir dicitur. LOMENIVS Herum istū JO. de FVG. atq; FVGIVM, itemq; D. MEVS appellat. FERD. ALBRECHT. Dux Bevernensis eundem JO. D. FVCHER, ac D. MEVS indigitat. Ego JO DE FVC. D. MEVS in Epitaphio dicto inveni, ADOLPH. TH. Herbur; cognomine nullo prorsus expresso, sola vocabula hæc duo *Dominus meus* Epitaphio inseruit.

§. III. Quid si verò FVGGERVVM aliquis eum fuisse hario-
laretur, uti quidem præter FERD. ALBRECHT. Ducem illum
Mirabilem, qui eum FVCHERVVM nominat, communis non tan-
tùm apud eruditos aliquos, sed plebem quoq; opinio invaluit, quasi
strenuus iste Vinipotor ex Familiâ FVGGERORVM fuisset:
Certè negare licet nequeam principium vocis decurtatæ monu-
mento incisum haud parvam propter similitudinem literarum ea-
rundem cum initialibus vocis FVGGERI literis conjecturam in
animis legentium relinquere, attamen uti ex solâ prioris in aliqua
voce syllabæ convenientiâ non statim de totius dictionis conve-
nientiâ judicandum est, sic si ea expenduntur quæ HIPPOL. à LA-
PIDE in *Dissert. de Rat. Statûs part. 2. c. 7. pag. 458.* habet, non adeò
firmam illam esse liquidò apparebit; is enim citato loco ita differit:
Fuggerorum familia è Geggingâ Pago, semimilliaro ab urbe Augu-
stâ distante, à Johanne, qui, Anno 1370. civis Augustæ factus,
exercere textoriam artem cœpit, orta: vid. MART. CRVSIUS,
part. 3. anal. Suev. l. 5. c. 9. Mox verò illustris, & magnifica, in-
gentium opum Domina, in tantum evecta, ut tandem insignibus
in Austriacam Domum meritis, Comitum titulum, & in Comi-
tiis locum, noviter ab iisdem Austriacis promeruerit. Noviter,
inquam: Eorum enim nomen, in Recessibus Imperii, A. 1582.
primitus apparet. Unde verò ad tantam opum vim pervenerit,
HORNIVS in *Dissert. Hist. Polit. XV. art. 4. p. 87.* patefecit, nec aliun-
de, inveniendò, Fuggerorum plusquam regie divitiæ, quàm ex aro-
matum Indicorum Venetis translatorum mercaturâ. Si jam ista
cum eo tempore comparentur, quod Epitaphio Fiasconio subje-
ctum est, anticipatio Familæ Fuggeriæ ultra ducentorum anno-
rum seriem excurret, de quâ tamèn apud omnes Genealogicos
Scriptores altum est silentium, imprimis NIC. RITTERSHVS. Affi-
nem post facta etiam honoratissimum juxta ac dilectissimum, qui
in Operis sui Genealogici edit. 3. JOH. FVGGERO, pro radice
stirpis Fuggeriæ constituto, duarum ejus Conjugum meminit, qua-
rum altera CLARA WIDOLFERINA. 1370. altera ELISAB. GFATTER-
MANNIN, Senatoris Augustani F. eidem nupsit. Accedit quod
propositò DE minus recepta in Familiâ Fuggerorum exponendâ
invenitur, uti cuius Genealogiam hujusce Familæ evolventi ad
oculos præbet. Neq; putandum est, propter mortem non adeò
honestam, datâ operâ illius mentionem in tabulâ Genealogicâ

non fieri, uti enim aliis etiam illustrissimis familiis dedecori esse nequit, si forte aliquod ejus inutile membrum refecetur, ne pars sincera trahatur: ita non facile antiquiorem maximè ac diffusio- rem familiam aliquis repererit, cui non macula aliqua ab ignomi- niolo quopiam mortis genere adhæserit, quæ tamen sequentium Heroum virtutibus potissimum elueretur. Non igitur displicet illud, quod PLATO scribit in Theæteto, indeq; excipit SENECA Epist. 44. *Neminem Regem non ex servis esse oriundum: neminem non servum ex Regibus.*

§. IV. Patriâ Bibonis hujus speciali, nec non Parentibus ac ætate, silentio involutis, generalis à quibusdam Autoribus *Germania* fuisse dicitur, quo autem fundamento; itidem non est memoratum. Sine dubio ad TACITI *Libellum de moribus Germ.* cogitationibus suis delati sunt, legendo ibidem, *diem, no- etemque continuare potando nulli (Germano) probrum esse.* At vero ANDR. ALTHAMERI Icholia in h. Levol- venti manifestum fiet. divulgatam esse apud quosdam parcemiam, *nullos tantum ebrietati obnoxios, quantum Germanos, neq; unquam fuisse apud eos flagitium, inebriari.* Limen veritatis, inquit ALTH. l. c. transiit Commentator ille proverbii, quisquis fuerit. Constat enim pristinis temporibus omne, quod saltem vinum ole- bat, Germanis denegatum fuisse, quod testatur BEBELIVS, ubi ait: *Nec vinum gustaverat ægra senectus,
Tunc pudor & probitas, jus, fas, pietasq; vigebat,
Tunc maturus erat foetus robustaq; proles.*

Nam Cæsar in IV. Comment. de Svevis loquens: Germanorum sobrietatem commendat. *Vinum, inquit, ad se importari non sinunt, quod ea re ad laborem ferendum emollescere homines atq; efforminari ar- bitrentur.* De nostris temporibus nunc minimè loquer, nemo enim est, qui nesciat, quanto luxu ac ebrietate redundet Teuto- nica Natio.

§. V. In vitæ genere, quod Potator ille coluerit, exprimen- do, diversi Autores diversas fovent sententias. *Hentsæro* sacrifi- culus valde bibulus, *Raurio* Episcopus, à *Pflæmern* Falisci Bacchi cultor, *Zellero* bonus Sympota, *Herbarrio* Prælatus, *Anonymo* Bacchicola, *Ferdin. Albr. Duci Mirabili* Episcopus, *Mibi* similiter Epi-

Episcopus, *Lamento Ecclesiastes audit.* Ecclesiastæ verò vocabu-
 lum Lutheranis plerumq; Concionatoribus ob officium concio-
 nandi tribui solitum quo fundamento bibulo Fugio assignatum sit,
 me latet, certè uti hodiè Præsulibus Papæis atq; aliis distoribus
 Sacrificulis docendi populum ex Cathedrâ Ecclesiasticâ munus
 dignitate suâ inferius esse videtur, ita Oenophilum illum ad offi-
 cium concionandi obeundum rectè instructum fuisse valde dubita-
 rem: legi tamen interea merentur, quæ JOH. CONR. DANHAWER.
in Hodomer. Spirit. Pap. Part. I. Phantasm. II. pag. 793. non tan-
 tum ipse ex suâ, sed ex CL. ESPENC. pariter penu adduxit: neq;
 aliquem plura de hoc argumento cognoscere aventem pœnite-
 bit, si ejusdem Concion. Bellovacensem p. 918. seq. & lib. 2. digress.
cap. 22. p. 262. addiderit, junctis insimul THOM. MORTON. *caus.*
reg. c. 2. p. 16. & CAROL. SCRIBAN. *in Polit. Christ. c. 26.* Profectò
 Autor libri, *Stella Clericorum* dicti, asserente B. MEISNERO Scho-
 lar. Acad. *dissert. de antiq. vitiosâ Theologicè disp. ratione p. 474.* gra-
 viter jam olim conquestus est: *ô Domine, Pastores tui mutati sunt*
in tonsores, defensores in dissipatores: qui deberent esse sobrii, quo-
tidie sunt ebrii; qui Pralati, Pilati: qui casti, incesti; qui du-
ctores, seductores.

§. VI. Quapropter Quis Johan. de Fug, sive Fugius fuerit,
 quam Patriam, quos Parentes, quotq; annos habuerit, mihi qui-
 dem adhuc inexploratum est, nisi quis fortè *Fugii* nomen inde
 arcessere cupiat, quod ceu *Fugalia* olim festa fuerunt Romæ in
 memoriam exactorum Regum mense Februario solita celebrari,
 sic *Fugii* nomen à memoriâ fugâ deductum est, quam puta *fugis*
 genuinum viri nimio Muscatellini potu extincti Nomen. Cete-
 rum de *Glauco* quodam marino scripsit PLATO, teste B. MEISNERO
loc. paulò ante cit. partes nobiliores corporis illius partim fractas,
 partim contritas fuisse, & ab undis penitus dissipatas, quarum lo-
 co alia ipsi adhaerint, conchylia, alga, lapidesq;, ex quibus nati-
 vam & germanam ipsius formam agnoscere vix quispiam potue-
 rit. Non multum ab similibus representatio est, de quo hic agitur, Bi-
 bonis: si enim talis unquam extitit, certè nunc corpore illius in ci-
 neres redactò, animaq; in loco Saufeiis & Biberiis apto hospitante,
 nihil amplius hodiè de illo, præter inscriptionem Tumuli, superesse
 comperiemus, ex quâ tamen literis præsertim cognomen facien-
 tibus

tibus non omnibus à principio ad finem usq; expressis, difficulte admodum ejusdem redditur indagatio & inventio: quævis enim Autores Epigraphicam doctrinam proponentes consulantur, qui alias vocum abbreviatarum aut literis saltem initialibus significatarum optimam expositionem tradunt, at tamen non tantum nihil de hac voce FVC. invenietur, sed nec illustrissimum quidem FVGGERI nomen unquam ita in tumultis abbreviatum fuisse facile deprehenderetur; quin potius omnibus literis absoluta legitur Inscriptio sepulchralis apud SWERT. in sel. Del. posita in Fuggerano sacello, h. m.

D. O. M.

JACOBVS. FVGGER. AVGVSTANVS.

*omnium sui Ordinis ac Nationis ornamentum
Maximiliani & Caroli V. Imp. A Consilio
divitiarum inusitatarum partu*

*liberalitate in omnes vite integritate animi magnitudine
nulli secundus.*

*Cum nemini conferendus vivens fuerit
post obitum inter mortales referendus non erat.*

CAP. IV.

De Famulo Herum Sepeliente.

§. I.

QUOD ad Famulum Domini potu nimio extincti attinet, non equidem admiratione afficior, quando neq; Nomen, neq; Patriam ejus in Epitaphio annotata reperire licet, præterquam enim quod famulorum nomina, publicis præcipue monumentis rarius inseruntur, profecto ex illorum modestiâ debitaq; submissione esse videtur, Dominorum usurpatis nominibus, sua reticere. Quæquam si Latinam calluit linguam, uti ex Latina Epitaphii elaboratione colligere hoc non inconueniens fuerit, dubitari posset, eum Nomen proprium omisisse, quippe cui spes gloriolæ ex manifesto illo apud posteros orituræ, anam dedisset quodq; Inscriptio- nem elegantius adornandi: præsertim cum apud PAVSANIAM me aliquando in Atticis legisse recorder, servorum fidelitati, ultra summum libertatis præcium aliud æquissimum concessum esse, nempe
ut

ut verba loci allegati latina sonant: *Æquitatis autem plenissimum illud plebiscitum fuit, quo publicæ sepulture honor est cum Servis communicatus, eorumq; nomina columnis incisa, quod fideliter & strenuè dominis in prælio (cur non etiam potatorió) operam suam navassent. Nolim tamen distinctionem illam prorsus rejicere, quando inter famulos, uná cum Dominis suis in prælio mortuos & inter eosdem Dominis suis superviventes, differentia constituitur. Sane uti de illis Historiarum monumenta testantur, servorum strenuorum nomina columnis incisa esse; ita de hisce, maximè combibonibus, credere fas est, eos proprio instinctu epitaphia Dominis suscitantes, Nomina sua servili stimulanste verecundiâ ac timiditate reticuisse. In historicâ quidem Rei hujus gestæ relatione, quare mentio ejus facta non fuerit, aliquis causam sciscitari posset, nisi officii ministerialis descriptionem illud supplevisse putandum sit. Confer. LAUR. PIGNOR. in *Commentar. de servorum ministeriis.**

§. II. Si jam ulterius Autores supra Cap. I. adductos consuluerimus, quid de Famulo isto annotaverint, offerent sese nobis sequentia: (1.) HENTZNERVS ait: *Servum ejus (Sacrificii) in perpetuam rei memoriam loco Epitaphii, in lapidem sepulchralem hæc verba incidi curavisse; Propter est: &c.* Binâ enim istâ vocis Est inscriptione in ædibus publicis seu diversoriis, & per servum, qui herum justo intervallo eqves præcedebat, facta Repetitione, vinum notabatur optimum. (2.) RAUW inquit: *Sein eigen Diener hab ihm (seinem Herrn) diß Epitaphium gemacht / Propter &c.* plura de hoc famulo non habet: (3.) à PFLAVMERN scribit: *Herum solitum fuisse famulum præmittere, qui omnes oppidi vinarias cellas perlustraret, inquireretq; optimum vinum, quo reperto inscriberet foribus beatæ illius cauponæ: Est, Est. Exanimi deniq; Hero illacrymatus famulus lepidum hoc Epitaphium composuit, & saxo inculpi curavit: Propter &c.* (4.) ZEILLER perhibet: *Der Herr habe / wann er durch Monte Fiascone gereist / allwegen seinen Diener vorangeschickt / daß er in den Wirtshäusern den besten Wein hat kosten / und an die Thür schreiben müssen / Est, Est, oder ist; als der Herr zu viel getruncken / und darüber sein Leben gelassen / so hat ihme besagter sein Diener diese Grabschrift gemacht / und in einen Stein graben lassen / Propter &c.* (5.) HERBVRR tradit: *Der Diener mußte allweg ein wenig dem Prælaten vorreiten / und wo er einen guten Wusteller Wein angetroffen / schrieb er an die Thür: Est, Est: Als aber*
C
der

Der Praelat sich zu tod getruncken / hat ihm sein Diener dieses Epitaphium gemacht / *Propter &c.* (6.) LOMENIVS refert: Herum antemississe famulum, quem in vino fidelem expertus erat prægustatorem, ut delibatae meri salivæ indicium cauponarum ostiis cretâ affigeret, hoc monosyllabo EST duplicato aut etiam triplicato, pro vini præstantia. Herum autem nullatenus sublestam fidem combibonis servi expertum esse: Tandem extincto Hero, afflictum famulum hoc Epitaphio suum mœrorem testatum esse; EST, EST, &c. (7.) *Anonymus* prodit: Famulum extincto Domino epigraphen fecisse: *Propter &c.* (8.) SWERTIVS ait, famulū interrogatū, an esset bonum vinum, respondisse EST, EST, vocemq; duplicasse, ut scil. vini bonitatem magis exprimeret. (9.) FERDINAND ALBRECHT, Dux ille Saxoniae mirabilis pronunciat: *Der Bischoff ist von seinem Diener mit dieser schlechten Grabschrift begraben worden / EST, EST &c.* Alia de famulo non retulit. (10.) Ex mea narratione patet: Servum fidem, quam vivo sæpius Hero suo demonstravit, mortuo pariter exhibiturum, Epitaphium breve simul ac inconditum lapidi inculpi curavisse, *Est, Est, &c.*

§. III. Officium igitur Famuli ex Denario adductarum hætenus relationum octo potissimum momenti solvebatur. (1.) præcurrendo sive præeqvitando, (2.) omnes oppidi vinarias cellas perlustrando, (3.) prægustando vino, (4.) idem dijudicando (5.) foribus cœnoencomiasticum monosyllabum *Est* inscribendō, (6.) exanimi Domino illacrymando, (7.) Epitaphium componendo. (8.) id Saxo inculpi curando. Unde quæstiunculæ orientur seqq. & quidem ex I. puncto isthæc: *An famulus præcurreret sive præeqvitaverit?* Præmissum esse, ex allatis antea circumstantiis oppido clarum est, an verò præcurreret, dubitarem, quippe ad longius iter perficiendum Dominus famulum adhibiturus, de equo vel curru ipsi prospicit, ne, quando maximè opus eo haberet, eo carere deberet: nisi forte ad solum oppidum Monte Fiascone pedité officium suū fecisse aliquis autumaverit, more hac etiam ætate Dominis non adeò infreqvente, quò diversorium aliquod ex itinere ingressuri famulos antea secum uno in curru vectos, cursores præmittunt: præeqvitasse autem, uti à quibusdam Autoribus expressum est, ita majorem veritatis speciem ex subsæcuta vini prægustatione accipit, quæ, nisi longo intervallo famulus Dominum post se reliquisset, vix rectè peragi potuisset. *An autem*

tem Herus semper *Subiq;* locorum, an verò in oppidum tantum Monte Fiascone famulum premiserit, in disceptationem denuò venire videtur. Prius licet asseri posset, propterea, quod Herus vino nimium dedi us nullam facile occasionem vinum bibendi neglexerit, optimumq; semper eligi mandaverit, attamen posterius hic ut statuatur, suaserit vini Muscatellini, quod ad oppidum Monte Fiascone nascitur, summè laudata præstantia, quæ non tantum electionem fecerit difficiliorem, sed quoq; ansam præbuit in suavissimum atq;ve delicatissimum inquirendi. Ex II. quæritur; *Quomodo servus omnes oppidi vinarias cellas perlustrare potuerit? Sanè si quorundam Autorum opinio teneatur, famulum nullibi non officium hocce suum peregrisse, non tantum iter longissimè protractum esset statuendum, sed insuper dicendum foret, in quolibet oppido Herum substitisse, cum optimum ex pluribus malis ubivis suppetat, nisi omnibus vinis malis existentibus vel saltem non in eo bonitatis gradu, quo Fiasconia antehac fortè jam à famulo probata vina, repertis, Herum aliorum concedere necessum erat: Suffecerit ergò, vel omnes unius oppidi Fiasconi cellas vinarias ante adventum Domini à famulo perlustratas fuisse, vel quod vero similis, duntaxat præstantiores. Ex III. & IV. puncto quæritur: An famulus prægustaverit & dijudicaverit? mirum alicui videbitur, ideò saltem, quod uti quælibet hominis lingua non magis suo ore ac dentibus, quàm suo gustu definitur, Herus nihilominus pro gustu famuli gustum habuerit, atq; in iudicio ipsius acquieverit: Famulus igitur iste vel exquisito saporis sensu debuit polluisse, vel suo gustu proximè ad Heri gustum accessisse, vel Herus nullum prorsus vini saporem potuit sensisse, quod ut aliquis crederet, bibacitas ejus faceret, quæ linguam vel exsuccam vel ultra modum humidam hincq; ad saporem inhabilem, communiter reddit. Matutino autem tempore prægustationis hoc officio servum detunctum esse, ratio ista evicerit, quia eo tempore lingua veluti tabularasa est, quæ nondum alios imbuit saporibus: oportet enim recipiens à recepti indole liberum esse, & ab ejus qualitatibus esse denudatum. Vid. ANT. LE GRAND *Histor. Nat. Art. V. p. 17. edit. Lond. Ex V. puncto* quæstio elicitur isthæc quadripartita: *An, quomodo, quoties & quorsum voculam EST famulus scripserit? Ego utut planè negarem; unquam tale quid à servo illo scriptum esse, cum vix verisimile sit, servum publicà ejusmodi scriptione**

Heri sui vinolentiam designare ausum fuisse, alio præsertim magis honesto & decente suppetente modo vinum suo Hero indicandi & commendandi, orali nempe seu vocali manifestatione, quâ nihilominus opus erat, licet scriptio talis antea jam facta esset, quippe Domino intranti oppidum fores illius domus EST signatæ semper monstrari debebant; quâ enim aliâs sine omnium platearum pererratione domus illa statim reperiri potuisset? Dabo tamen, servum voculam EST foribus inscripsisse; unde quæso scitur, cretâ eum scripsisse, an forsan ideò, quod ea omnium optimè haberi queat, oculosq; prætereuntium albo suo colore ad se pertrahat, cretâ scripsisse putandus sit? certè præter LOMENIUM vix alium inveneris Autorem, cretæ mentionem facientem: Deinde inscriptum monosyllabum EST triplicatum fuisse, idem ille LOMENIVS ait, nullo iterum alio quopiam adstipulatore: Denique cautionarum offiis inscriptam esse voculam EST, unâ cum LOMENIO & J. H. à PFLAUMERN, & M. ZEILLERUS, & alii asserunt. Ex VI. puncto resultat quæstio hæc: *An, quando servus ex animi suo Domino illacrymatur, inde fides ejus rectè cognosci queat?* De omnibus hoc servus asserere velle, credo unam & alteram experientiam non permittere, præterquam enim quod lacrymæ haud rarò fallaces sunt, atque pro diversâ cordis constitutione funduntur. Conf. M. ZEILLER. *Epist. CCCCLXI. p. 522.* nec non PETR. PETIT. *Libb de Lacrymis;* quis amabò ignorat, funera Dominorum præsertim rigidiorum, nonnunquam sine fletu atq; lacrymis efferrî? de isto tamen servo pietatem talem non penitus in dubium vocare, fides in vino prægustato læpius abs Hero experta, & inopina Patroni sui mors suadent, quâ sine dubio ademptam sibi bonè vivendi amplius occasionem ingemiscebat. Ex VII. puncto quæstio institui posset: *An famulus ille, quod supra exposuimus, Epitaphium composuerit?* ita quidem statuunt omnes, quos videre contigit Autores, de hoc Epitaphio agentes; neq; ferè aliud simplex, servileq; profus decens ingenium Epitaphii hujus Compositio judicare permittit, dummodo latini etiam sermonis gnarum fuisse servum à priori posset aliquo modo demonstrari: dubium certè oritur, cur servi potius quàm eruditioris personæ inscriptio adhibita sit, cum non tantum elegantioris dignitas & divitiæ ejus meruissent, sed ipse quoq; sepulturæ locus ac successoris pietas aliam magis latinam flagitari. Ex VIII. puncto exsurgit quæsitum hocce: *An equum licitum-*

licitumque fuerit, ut servus tam incommum & ignominiosum à se factum Epitaphium saxo publicè incidi curarit? Licitum fuisse, ex ipsius monumenti adhuc peregrinantibus ostendi soliti inspectione patebit, an verò insimul æquum aut decens admodum, vehementer tueri nollem: sanè majori olim candore causa mortis exprimi debuit, quàm hodie fieri vulgò solet.

CAP. V.

De Loco Heribuli interitus atq; sepultura.

§. I.

Locum illum, in quo nimia vini Muscatellini potatio mortem Episcopo attulit, esse oppidum Monte-Fiascone, nemo Historiolæ hujus obiter saltem conscius negaverit: Locus autem Sepulturæ, ubi Epitaphium Peregrinatoribus Italiæ adhuc hodie ostendi solet, generalior quidem est antea dictum oppidum, specialior templum extra oppidum nomine S. Flaviani conspicuum, specialissimum Capella sub priori templo ædificata, ubi ad pedem summi Altaris lapis magnitudine notabilis positus est, cui alius, multò tamen minor, in fine, formâ quadratâ annexus, hanc, quam supra attulimus, Epigraphen complectitur. Et quamvis pauciorum ferè, quod ad istâ circumstantiam, Scriptorum hoc de Argumento conjunctæ inveniuntur sententiæ, attamen, præter oculorum meorum testimonium, haud parum memoriam meam juvat roboratq; accurata satis Cellissimi Ducis Bevernensis FERD. ALBR. in peregrinatione suâ quondam factâ observatio, quando in libro hoc demum Anno, cum Titulo, des Wunderlichen Lebens- und Reisen-Beschreibung/publicato, hæc annotata invenio: Darnach reisete der Wunderliche durch die Stadt Bolsena, widerum durch Gehölz und Berge/ bis vor die Stadt Fiascone: Es ligt eine Kirche mit weit von dem Wirthshaus vor der Stadt S. Flaviano benamset/so vor Alters der Thum soll gewesen seyn / unter dieser Kirche ist noch eine andere gebauet / in welcher vor dem hohen Altar ein Bischoff in seiner Kleidung abgebildet / begraben.

§. II. Pleriq; Scriptores generalioris tantum Loci mentione contenti, neq; specialiozem, neq; specialissimum expriment: sic M. ZEILLERUS in Itiner. Ital. cap. 5. fol. 133. col. a. oppidum quiddam Monte-Fiascone nominat, de Inscriptione verò loquendo, ait: Als er aber dieses lieblichen und köstlichen Muscatellers zu viel getrun-

sten / und darüber sein Leben gelassen / so hat ihm besagter sein Diener diese Grabsschrift gemacht / und in einen Stein graben lassen ; Propter Sc. Eodem prorsus modo *Anonymus supra citatus pag. 132.* refert: Bibulam illum liberalius hausto Muscatellino extinctum, hunc à famulo titulum monumenti retulisse , Propter Sc. Generalissime omnium LUD. HENR. LOMENIUS in *Itinerario suo* narrationem instituit , Afflictus, inqviendo, famulus hoc Epitaphio, etiamnum Lyzum & sincerum cor redolente, suum mœrorem testatus est, EST, EST &c. A. T. HEREURR in *Memorab: Europ.* scribit: Allda (zu Monte-Fiascon) ein Prälat begraben lieget: Auf dem Grabstein stehen diese Wort: Propter Sc. JOH. RAVW in *Cosmographiâ pag. 250.* locum sepulturæ prorsus omittendo, epitaphii solum meminit h. m. Man referiret / es habe ihm (dem Bischoff) sein eigen Diener dieß Epitaphium gemacht / Propter Sc. Nonnemo speciliorem locum annotando, à S. BREVIANO eum denominat, sed uti talis Sancti nomen extare nondum demonstratum est, ita multò minus templum aliquod eidem unquam dedicatum esse credibile sit.

§. III. Quod oppidum *Monte-Fiascone* attinet, varia sortitum est nomina: nunc enim *Mons Fiasco*, nunc *Fiascone*, nunc *Falisco*, mox verò *Flasco*, deinde *Mons Falisconis atq; Faliscorum mons*, qv in etiam *mons Phiscon s. Physcon atq; Trossulum* ex *PLIN. lib. 33. cap. 2.* appellatum est. Quibusdam *Soractes* falso putatur, qvi nunc monte *S. Oreste* dicitur: ubi oppidum *S. Oreste*, ad Tiberim, in provincia Patrimonij *S. Petri*, è regione *Sabinæ* Provinc. 8. milliar. à Civitate *Castellana* in Austr. Romam versus situm. Vulgatissimum verò hodièq; receptissimum hujus oppidi nomen esse *Monte Fiascone* Italicis Peregrinatoribus ignotum haud fuerit. *NIC. SANSON. Geograph. Reg. Gall. in Tabula Italiae A. 1672.* vulgatâ, urbem istam *Monte Fiascone* exprimendo, eam ad lacum *Vulsinium* ponit. Est igitur *Monte Fiascone* urbs Episcopalis in Provinciâ *Italiae*, qvæ *Patrim. S. Petri* dicitur, speciatim in *Orvietano* territorio, juxta lacum *Vulsinium*, in monte, lagenæ non absimili, posita: Cujus ager vitimis pascendis, secundum *Heinsium*, dicatus, peramœnis & fructiferis nitet collibus, ac vini *Muscatellini* optimi, nec non maximâ pomorum copiâ commendatur, qvemadmodum id ex *Ovid. Amor. lib. 3. Eleg. 13. vers. 1.* patet:

Cum mihi pomiferis conjux foret orta Phaliscis.

In quâ *Elegiâ Ovid. de Junonis festo* fusius agit, quod *Juno* maxi-
mè à

me à Phalisco, celebratur. Præterea græmen Faliscum à Scrip-
toribus passim celebratum legitur. *Martialis* etiam ventris Falisci
meminit, quando lib. IV. Epig. XXXI. ait:

Et lucanica ventre cum falisco.

CONF. MATTH. RADER. *Comment. ad Martial. loc. cit.* nec non
PUBL. PAPIN. *STAT. Sylvæ. lib. 4. in Risu Saturnalicio ad Plotium,*
Carm. IX. vers. 35. itemq; VARRO lib. 4. de LL. Æquvitatem autem
Faliscorum commendat VIRGIL. *Æn. 7.*

Hi Fescenninas acies, equosq; Faliscos.

PLINIUS deniq; *L. 2. c. 103.* in Faliscis Fluvium esse narrat, cujus
aqua pota boves candidos efficit: Unde OVID. *Amor. l. 3. eleg. 13.*
v. 13. 14. cœcinisse arbitror:

*Ducuntur niveæ populo plaudens juvence,
Quas aluit campis herba Phalisca suis.*

Tales enim peculiariter in agro Phalisco haberi, propter annem
Clitumnum, cujus aqua candidas facit juvencas, JAC. MICYLLVS
aliter MOTZLERVS dictus, in *Not. ad b. l.* testatur.

§. IV. Cæterum *Falisci & Faliscus* (cum Gentium & oppido-
rum etymologia ex earum vel conditorum lingua eruenda, non
verò in aliis quaerenda sit, rectè animadvertente THOM. de PINE-
DO, Judæo paucos ante menses mortuo, in *observ. ad Stephan. de*
Urb. pag. 486. num. 32.) ab Haleso Argivo denominationem suam
accepere: sic enim SOLIN. *cap. 8.* Qvis ignorat, condita esse, Agyl-
lam à Pelasgis; ab Halese Argivo, Phaliscam; nec non OVID.
Tom. 1. lib. 3. Amor. eleg. 13. v. 31. seqq. p. 505.

*Agamemnone caso
Et scelus & patrias fugit Halesus opes.
Jamq; pererratis profugus terraq; fretaq;
Mœnia felici condidit alta manu.*

Itemq; *Tom. III. lib. 4. Fast. v. 73. pag. 203.*

*Fœverat Atrides satis agitata Halesu
A quo se dictam terra Falisca putat.*

Consentit JOH. FREINSHEMIUS, qui in *Notis ad L. AN. FLOR. Lib. 1.*
cap. XII. p. 54. n. 1. ait: Falisci ita appellati sunt ab Halese: Hi au-
tem immutato H. in F. (malè in CRIPPINGII edit. *Ovid. Tom. III.*
lib. 4. Fast. v. 74. in not. N. in F. mutatum esse dicitur, sine dubio
Typographi errore,) Falisci dicti sunt: sicut Febris dicitur, quæ
ante Hebris dicebatur. Formis quæ Hormis fuerunt, dicitur

ôgμs.

deprose. Nam posteritas in multis nominibus F. pro H. posuit. **SERVIVS** ad **ÆN.** 7. 695. Ita hariolus, quasi fissiolus, à fando. **TURNEB.** *Adversar.* 24. 17 Sic Hanula, parva delubra, quasi Fanula. **FESTVS**, Apud Hispanos usitata harum literarum invicem mutatio: ut *Harto* quasi *Farto*, *Hyo*, Portugall. *Fyo* &c. **CONF. GERH. JO. VOSS.** *Tract. de literar permutat. Etymologico LL. prefix.* Quo igitur loco scriptores quidam habendi sint, qui literas sive H. sive F. prorsus omittendo, *Alesi* duntaxat verbum usurpant, alii occasioni reservo.

J. V. In Historiam Faliscani Pædagogi excurrerem, nisi longius à scopo me aberraturum timerem, attamen si fortè alicui eam nosse volupe foret, legendam exhibebunt **T. LIV.** *lib. 5. c. 27.* **V. MAX.** *lib. 6. cap. 5. exempl. I. Roman. SEXT. JUL. FRONTIN.* *Strateg.* 4. 4. 1. **AUTOR** *de vir. Illust. cap. 23.* **PLUTARCH.** *Camill. cap. 17.* **L. AN. FLOR.** *Rer. Rom. lib. 1. cap. 12.* **JOH. JAC. HOFMANN.** *in Lexic. Universal. Tom. 1. p. 634. col. a. sub. voce Falisci.* Cujus tamen candor ac fides, uti aliàs in isto volumine sæpius, ita hinc etiam vacillare videtur, quando *Livii librum 6. cap. 19.* erroneè pro *lib. 5. c. 27.* allegat, Ducemq; Faliscorum *Valerium Argium* vel *Alesum* fuisse tradit: ut enim de *Aleso* nunc nihil dicam, de *Valerii Argii* saltem nomine notatu dignum est, id ex ignorantia primum græcæ lingvæ, posteaq; ex superficiali literarum tractatione originem sumsisse, cum enim *Φαλίσιος Ἀργίου*, i. e. *Falerius* ex *Argia* oriundus legeretur, evenit, ut *Falerium* cognomine *Argium* appellatum fuisse nonnulli crediderint, quo errore posterior imbuta ætas, juvenus etiam hodierna eodem faciliè infici poterit, si fidem statim cuilibet Lexicographo adhibuerit, uti quidem *Nonneminem* præterito demum anno in eundè incidisse recordor, qui nimirum *Hoffmanniano Lexico* fidendo, *Argium* quoq; simpliciter *Ducè Faliscorù* è *Macedonia* constituit. Satius sanè fuisset **NIC. LLOYDIUM**, ut alibi locorum; sic etiam hinc, sine additione ullâ, exprimere, quàm erroneis additamentis deturpare. Quæ alia circa Faliscos adhuc observanda essent, ea, ceu principaliter huc non pertinentia, studiosè nunc omitto.

CAP. VI.

*De Narrationis Monte Fiasconia
falsitate.*

§. I.

Perlustratis circumstantiis omnibus, quas quidem ex relatione
Autorum Epitaphium unâ cum historiâ describentium habere
potui; ante omnia notandus venit *antiquorum testium defectus*. Et si
enim, quos libraria mea suppellex in hoc genere suppeditare po-
tuit, historica, geographica & epigraphica tractantes Autores con-
suluerim, nuspiâ tamē aliud præter solius vini Muscatellini in Mon-
te Fiasconio agro crescentis excellentiâ, notatum reperire licuit.
Sanè si, uti hodie res vulgò narratur, ea etiam sic gesta esset, non
tantum à Scriptoribus *συγγεγραμμένοις* diligentissimè relata, sed à pro-
ximè sequentibus non prorsus omissa fuisset. Scio quidem vulga-
tum Logicorum Canonem: *A testimonio humano contingentem esse
consequentiam, & quidem affirmativè tantum; quippe negativè nihil
inde sequi, vel concludi, notissimum est.* Quin etiam insuper CRANTZIO
scribente *lib. 3. Saxon. c. 25.* multa scripta non sunt, quæ tamen
facta sunt, quod ratione Germanorum potissimùm verum esse,
neminem facile latuerit. Sed, ut hic Canon convenienter atten-
ditur (iudice MART. SCHOOCKIO in *Fabul. Hamel. P. III. p. 178.*
seqq.) ratione scriptorum ejusdem seculi, qui sibi mutuas operas
tradere debent, uno supplente illud, quod ab altero omissum est;
sic, quando posteriores Scriptores comparantur cum *συγγεγραμμένοις*
horum silentium, siue negativum testimonium, sufficit evertendæ
temerariæ illorum affirmationi. Nam, posteriores scriptores non
possunt proponere aliquam narrationem, ut verâ, quæ omissa fue-
rit à Scriptoribus contemporaneis, nisi aut eruditi fuerint ab ipso Spiritu S.
ductore in omnem veritatē, aut iis suæ narrationis documentis in-
structi, quæ consignata & deposita fuerint, ab *ἀξιωματικοῖς* ejusdem
testibus. Quid quod in ipsis Italiæ Inscriptionibus, quas PETR. APIA-
NUS & BARTH. AMANTIVS Ingolstadii Anno M D XXXIII edidère
in fol. non extet alia, nisi hæc de Faliscis Inscriptio pag. CLXXV.

Apud Faliscos.

LIMPHE MATRI SACRVM
SI HVMANO INGENIO PERPETVO VIATORIBVS
D PARA-

PARARI VINA POTVISSENT. NON AMOENVUM
 QVEM CERNITIS FONTEM, QVARVM FONTEM
 C. LEPIDVS MAGNA IMPENSA ADAVXISSET.
 POTA FELIX.

§. II. Et licet ambabus, ceu dicitur, manibus largirer, ab illo-
 rum horumq; uno vel altero historiolum, de qua nunc agitur, con-
 textam esse, tamen nisi constet, eos supra ætatem surrexisse, atq;
 averruncatis fabulis cum iudicio veritatem amplexos fuisse, quis
 quæso fidem narrationi adhibebit? Qvid enim refert, M. SCHOO-
 CKIO iterum asserente *loc. cit. p. 89.* sive quis ingenii impetu, sive
 seculi torrente ad mendacia abripiatur? Per seculi quasi sui geni-
 um, ad profunda falsi abrepti fuerunt omnes ferme Historici, imò
 alterius quoq; ordinis scriptores, qui vixerunt *Seculo nono, decimo*
& undecimo; non diffitentibus his ex Doctoribus Pontificiis, in
 quibus candoris & iudicii guttæ aliquæ adhuc superfuerunt. Quod
 igitur non procul à seculo undecimo historia nostra contigisse di-
 citur, haud parum iterum fidem asserentis elevârit.

§. III. Recentiores equidem dum inspicio, plerosq; in præ-
 iudicium antiquorum Historicorum fabulam hanc præcudisse ani-
 madverto; fidè illi adstruere laborando per illa, quæ ordinariè de
 Germanorum vinolentia disseminantur. Et quamvis in eum Auto-
 rem sedulo inquisiverim, qui primus historiae hujus meminisset, at-
 tamen nondum ad liquidam explorata illius inventi esse potuit
 veritas, antiquissimis factum istud non attingentibus, & recentio-
 ribus de eodem multifariam scribentibus. Unde resultans *recentio-
 rum Autorum dissensus* non parum quoque rem totam dubiam reddi-
 derit: *Vere namq; Historie indicium est, si de eisdem omnes eadem dicant*
atq; conscribant, ceu Ebraeorum Livius JOSEPHVS Lib. I. contra Ap-
 pionem Grammaticum verissime scripsit, inquiringo, *τῆς ἀληθείας*
ἐπι πικρήσειον ἰστορίας, οἱ περὶ τῶν αὐτῶν ἀπειρεσι ταυτῶν καὶ λέγουσι καὶ
χαίρουσι. Quo cum facere Aristotelem, Ciceronem, Senecam,
 Quintilianum & alios ab HVG. GROT. Lib. I. de J. B. & P. c. r. n. 12.
 in suffragium vocatos M. SCHOOCK F. H. Part. 4. c. 6. pag. 250.
 testatur, quamvis GROTIUM *cit. loc.* evolvendo, non videamur
 cur CICERO vel cur alii *Autores* ad Josephi stabilendam sen-
 tentiam adduci queant, CICERONIS enim verba ex 1. Tusc. de-
 sumta sunt ista; In re consensio omnium Gentium Jus naturæ
 putan-

putanda est: aliorum verò Authorum, ut *Porphyrii, Andronici Rhodii, & Plutarchi* dictis efferatæ gentes à Jure Naturæ recedentes describuntur.

§. IV. Præterea suspiciosam fecerit hancce Historiolam, quod fide magis populari, quam suâ ab Historicis vel scriptoribus Hæcæporicis eadem relata sit, quid enim aliud judicare aliquis possit, quando apud JOH. RAW. in *Cosmogr. fol. 250.* legerit: *Man referht in dieser Stadt eine Historiam von einem Bischoff ꝛ.* Sanè ubi *Vocabula refertur, dicitur, ajunt, &c.* in aliqua narratione adhibentur, ea suspectior ut reddatur nihil impedit. An verò propterea statim nota Viro cuiquam scribenda sit, qui voce *dicitur* in re sibi non prorsus cognitâ utitur, profectò ambigo: sic si quis auribus acciperet in hac vel illâ parte terrarum hunc vel illum librum, ab isto vel alio viro typis publicatum esse, neq; tamen illum adhuc ipse vel vidisset, vel à fide dignâ personâ visum, citatum, narratumq; audivisset, an propterea de libro illo fortè sermonem habendo, & de ipsius editione verè facta ambigendo culpandus sit, si vocem *dicitur* adhibuerit? tutius certè, meâ quidem opinione, multo esse arbitrarer, vocabulo *dicitur*, libro, de cujus editione nondum mihi certò constaret, tributo, famæ consulere, quàm audaci, in re dubiâ, factâ asseveratione, eidem quocunq; modo nocere. Accedit quòd pleriq; Authores in isthâc fabulâ voculâ particulari *Quidam* utendo, non tam determinant personam nimio vini haustu extinctam, quam proprio eandem nomine non insigniendo magis dubiam reddunt: uti quidem in communissimâ fabularum recensione familiaris admodum hujusce voculæ est usurpatio, quando enim non statim nomen alicujus viri vel fœminæ, alteriusq; etiam rei occurrit *Quidam* vel *Quedam* eorum loco videmus esse substituta.

§. V. Deinde neq; lapis, cui Epitaphium incisum est, neq; *literarum figura*, qua Inscriptio absolvitur, commenti rationem sustulerint: quemadmodum enim ille extra genuinum sepulchri saxum, instar scabiei extremum occupat, exiguaq; suâ quantitate, cœu spurius quidam partus, majori saxo turpitudinem inducit, quin etiam propter coagmentationem valdè notabilem & irregularem de antiquitate dubitandi non immeritò ansam suppeditat; sic comparatio literarum istarum cum adjectis supra caput Sepulci literis, ob antiquitatem lectu difficilioribus rectè instituta figmentum Misogermani alicujus ultrò manifestabunt. Quod

ipsum in *Traetatu meo de Preparatione abiturientium in Italiam* attendendo, occasione commendati tunc studii Epigraphici, hisce verbis exposui pag. 24. *Neq; minori cura opus erit, si literae novae ab antiquis dignosci, atq; inde Monumenta genuina a spuris distingvi debeant: quam etiam ob causam, vix mihi persuaderi patiar, Epidem illum sepulchralem, ad Altaris pedem in Templo extra urbem Monte Fiascone positam, eam antiquitate notabilem esse, quam quidem subjecti an- norum numeri exprimere videntur, quippe literarum ductus accuratius intuen- do, haud ultra unius seculi spatium se illos protendere comperietur.* *Æræ* igitur Epitaphio subjectæ *dissensus cum literis epitaphium* con- stituentibus non levem iterum de falsitate totius historię conje- cturam subministrant. Næ rideri aliquis deberet, si Numisma, cui caput humanum ad hodierni seculi mores contumaciatum ac ornatum in- sculptum esset, pro antiquiore quopiam Græco vel Romano nu- mismate venditare auderet, non aliter etiam se res haberet cum *Æræ*, quæ recentioribus seculiq; nostri consuetudinem indicanti- bus ductibus expressa est, ut ut nescio quam Gracchorum, Cras- sorum, Curionum, Appiorum, Corrinthianorum, quin & ipsius Nicostrotæ aut Evandri ætatem illos præ se ferre impudenter ma- gis quam prudenter defenderetur. Intera conferri hic non inuile fuerit *HIER. HORNSCHVCHII* *Ορισματα των Νομισματων*, nec non *JO. CARA- MVELIS Apparatum Philosophicum*, itemq; *ÆG. STRAVCHII Doctri- nam de Numeris.*

¶ VI. Deniq; Fabula Montefiasconia veræ narrationis loco haberi nequit vel ideò, quod falso principio nitatur. Unde argu- mentum exoritur hocce: Narratio, quæ nititur principio per omnia falso, pluris non debet fieri quam trivialis quæq; fabula; Atq; talis hæc ipsa est Narratio, quæ circumfertur de bibulo illo Germano in Italiã ob nimium vini potum extincto, Ergo. De Majoris indubitata veritate nullus ambigere potest: Quantum ad Minorem attinet, illi, qui hanc narrationem ultra rationem fabu- læ æstimare vellent, nisi possent quadruplici potissimum argumen- to, quo fidem ei apud imperitiores adstruerent; (1.) *Quod hujus facti memoria sit annotata in Annalibus Fiasconis.* At non sufficit aliquid nudè affirmare, sed etiam opus est id probare: quis quæso Annales illos condidit? quis inspexit? ubi asservantur? Certè *ANT. MASSA*, qui de origine *Græcis Faliscorum* eximie scripsit, atq; Volumini, cui *Italia Illustrata* titulus est, hodie insertus reperitur,

negry quidem de hac fabula annotavit, cum tamen MELCH. CANO Lib. II. LL. CC. cap. 5. teste, *Scriptores veteris* (addo, cujus-
 cunq; etiam) *etatis non omisissent, si scivissent, scivissent omnino rem, si*
fuiſſet. (2.) *Quod in publico loco & quidem sacro sive templo, ad al-*
tare, hinc est testimonium publicum extet. Negari quidem hoc ne-
 quit: sed cui tamen ignotum est, curiis, templis, aliisq; locis pu-
 blicis, quamplurima, praesertim simpliciore adhuc illa Majorum
 nostrorum, credula etiam valdeq; jocosa aetate, monumenta olim
 inserta fuisse. Accedit, quod mos ille mortuos in templo human-
 di, variis variorum Concillorum Canonibus Legibusq; saepius co-
 erctus legatur, praecipue in Italia, non tantum circa secula sextum
 & septimum, sed & proxime inſequentia. Quin etiam inſuper Se-
 pultura intra Tempia iterum concessa, ad Sacerdotales praecipue
 personas, hominesq; justos eadem restringebatur. (3.) *Quod An-*
nis M. C. XIIItus, circa quem haec historia contigerit, in saxo sepul-
chrall expressus sit. Libenter etiam hoc, utpote *conſilia* ipsa im-
 pellite, concesserim, sed an inde veritas narrationi epigraphicq;
 conciliabitur? sane uti secula nonum, decimum, undecimum, quin
 etiam duodecimum, fabularum fuere feracissima, ita foetum quoq;
 Num Fiasconium ab ejusmodi matre prognatum esse, temporis
 jubet credere identitas: Profecto non omnis illa historia statim
 vera est, quae ad temporis lineas quam accurate est exacta, optime
 afferente M. SCHOCKTO in *F. H. Part. II. cap. V.* Tempus quam
 definite quoq; annotatur in Historiis, quas constat fabulosas esse;
 nec tamen propterea eodem loco haberi debent, cum veris &
 aſſeruntur Historiis. Conf. *ſupr. cap. VI. §. 2.* (4.) *Communem famam*
admodum principii probatorii hic advocare laborantibus, responderi
poſſe autumo, nunquam, publicam quoq; famam, eodem loco
cum liquida narratione habendam esse, secundum OVID. lib. 12.
Metamorph. verſ. 54. ſeqq.

*Mixtaq; cum veris paſſim commenta vagantur,
 Millia rumorum, confuſaq; verba volutant, &c.*

Et, Fama ne tunc quidem, cum aliquid veri aſſerit, sine mendacii
 vitio est, ſcribente TERTVLL. *Apolog. cap. 7.* verum ut iterum canit
 OVID. *lib. IX. ejusd. Oper. verſ. 138. & 139.*

*Veris addere falſa
 Gaudet, & minima ſua per mendacia creſcit.*

§. VII. *Objicere aliquis posset: Nullum mendacium vetera-
scere aut ad senectutem procedere, jam verò famam de bibulo illo
Germano de seculo in seculum ad hoc usq; tempus propagatam
esse, proptereaq; mendacium esse non posse: Sed enim unde quæso
aliquis hoc demonstraverit? certè nemo testari potest de iis, quæ
ante suam ætatem gesta sunt, nisi ea cognoscat aut è senioribus ad-
huc superstitis, aut ex Historicis: nullus, autem facile adferetur
Historicus, qui ante annos quadringentos aut quingentos fabellæ
hujus meminerit, neq; puto ad seniores aliquem provocaturum,
nisi vel Judæum illum immortalem, vel Johannem aliquem de
Temporibus, vel similem fabulosum longævum, vel à tritavis per
Patres factam traditionem audacter magis & ridiculè, quàm verè
& convenienter producere vellet. Quid quod Historiæ quæ per
plura quoq; secula, unanimiatq; succedaneo Scriptorum consen-
su ad posteros propagatæ sunt, falsæ esse possunt, quod errandi oc-
casionem præbuerit unus aliquis fabulator, quem reliqui velut im-
provida pecora deinceps secuti fuerunt. Exemplum unicum esse
potest instar omnium: SEB. MUNSTER, *Cosmogr. lib. 3. cap. 241. p.
m. 791. in vernac. ling. ait: Es soll der Evangelist S. Marx leibhaftig
ruhen in diesem Kloster (Reichau/so eine schöne Insel ist/ unter Costens
eine Meil/ in Kleinern See ligend/)* darunt die Mönchen nicht gesungen
oder gelesen haben S. Marci Evangelium/ Secundum Marcum, son-
dern Secundum illum, das die Benediger nicht ein wenig bemühet hat/
haben ihnen ein grosse Summa Gelds wöller. geben dafür: aber die
Mönch habens nicht wöllen thun. Quæ, ut & alia omnia Münsteri,
nescio à quo in Latinum verba sermonem, sonant h. m. *Ajunt D.
Evangelistam Marcum quiescere in hoc Monasterio, unde Monachi
Evangelium ejus in Ecclesiasticis officiis pronunciantes non usi sunt hæc
communi præfatione. Sequentia S. Evangelii secundum Marcum,
sed Sequentia S. Evangelii secundum istum. Id quod Venetis, qui
gloriantur se habere ossa hujus Evangeliste, dicitur olim stomachum mo-
visse, uti etiam voluerint Monachis aliquam summam pecunie dare, quo
soli possiderent reliquias Viri sancti, at Monachi recusarunt. Jactatis-
simi tamen hujus depositi veritas sufficienter discussa legi potest
apud Phosphorum illum Theologiæ Argentinensem & Helperum
Rostochiensem JO. GEORG. DORSCHVUM in libello, cui tit. est:
*Relatio Anonymi, S. Marci Evangeliste corpus in Insulâ Augiâ Divite
quiescere. Taceo quæ alia de quæ plurimis aliis fabulosis ejus-
modi***

☞: (31.): ☞

modi monumentis per longorum annorum seriem in hunc usq; diem & verbis & scriptis propagata cuius veritatis historica studio passim reperire liceret.

CAP. VII.

De origine fabula Montefiasconia.

§. I.

Perlustratâ hætenus fabulâ & examinâtâ ejusdem specie veri, quam obtinere alicui videri posset, in ipsam quoq; fabulæ hujus originem ut inquiratur operæ pretium esse duco. Siquidem nullam, a jante SCHOOCKIO loc. cit. p. 234. dederis mihi fabulam, quæ non occasione vera alicujus Historiæ excogitata fuerit, narratione, quæ vera est, speciosis plumis multijugi commenti exornari solita. Proptereaq; etiam certissimum est, omnem fabulam aliquid trahere de vero, atq; nullum commentum usq; adeo putidum per trivium jaçtari, quod non ad rei alicujus veræ similitudinem efformatum sit. Cui amabò *Chimera*, monstrum illud apud Poetas aliosq; Scriptores decantatissimum ignotum est? flammam dicitur vomere, caput & pedes leonis, ventrem capræ, caudamq; draconis habere, vel ut LVCRET. tristicho utar, quod lib. 5. attulit:

*Qui fieri potuit, triplici cum corpore ut una
Prima leo, postrema draco, media ipsa Chimera
Ore foras aërem effaret, de corpore flammam?*

unquam tamen id in orbe exstitisse aut verum animal fuisse, quis erit, qui affirmaverit? Sanè quia *Chimera* mons est Lyciæ ignivomus, in cujus cacumine Leones; in medio, ubi pascuis abundat, capræ; in radicibus autem serpentes stabulantur; Hinc etiam fabulæ locum factum esse quilibet sapienter avertit. conf. BOGHART. *De Phœn. colon. lib. 1. cap. 4.* CÆSIVS in cœlo Astron. Poët. p. 219. J. SOLIN. *Polyhist. cap. 25.* & ALCIAT. *lib. 1. Emblem 102.* Nihil nunc dicam de universâ Gentilium Theologiâ Mythologicâ, quæ uti occasione Sanctorum Dei hominum, per quos Deus singularia sub priori fœdere executus fuit, atq; ipsarum rerum naturalium, quæ usum singularem generi humano viderentur exhibere, hæc parva incrementa sumit, sic eruditè satis à BOGHARTO in *lib. Phæleg.* nec non VOSS. in *Theolog. Gentil.* detectam esse crediderim.

§. II.

§. II. Non igitur multum dubitarem, quin vulgaris narratio de Germano Episcopo nimio Vini Muscatellini potu in Montefiascone extincto, ab imputatâ communiter, à longissimo jam tempore, Germanis nimiam bibendi consuetudine originem suam traxerit. Etenim TACITVS, ille jam senescentis lingvæ Latinæ Autor, in libello de *Merib. Germanor. diem noctemq;*, ait, *continuare potando, nulli (scilicet Germano) probrum.* Ad quæ verba JOD. WIL- LICH. in commentar. cap. 30. Potationem banc, inquit, magis circa Rhe- ni accolæ, quorum mores Tacitus præcipue vidit, usitatam fuisse, quam in tota Germania judico. Verum hodie cum passim, & vineta coluntur, & aliunde alia, atq; alia vini genera afferuntur, incredibilis ubiq; tem- perantia, qua mirum in modum inter sese potissimum sic juvenis conflictatur, ut non male ab alienationibus Germani ebriosis incusentur. Romani ergo ceteriq; Itali attendendo Germanicarum comotationum excessum atq; frequentiam non tantum varias inde fabulas cudere coeperunt, sed & proverbio locum faciendo adhuc hodie dicere solent; *beyer*, *brindeggiar*, *viver*, *stravizza*, alla tedesca, i. e. *auf gut deutsch* / *sein wacker und weidlich süssen / zutrinken / leben / schmau- sen* / vid. H. THOM. LEOD. *Anal. Palatin. lib. 2. p. 25*, ubi exemplum memorabile occurrit de Ebriis quodam Nobili Frisio pro Damo- niaco rapto & catenis alligato: conf. *Progr. meum de Prep. abitur. in Ital. p. 38. §. 39.* Quamvis nondum investigare potuerim causam, cur propter unius vel alterius Germani bibacitatem, univer- sâ statim Nationis Teutonice Vinolentiam incusare liceat: Quis enim unius SHANI, scribente PH. ANDR. OLDENBURG. in *Thef. Re- rum. Part. IV. p. 25*, potentis Utoniæ in Hibernia Reguli insanam bibendi cupiditatem, toti Hiberniæ, nisi iniquus impegerit? Quis item ob Amphoram Bonosum, omnes Britannos aut Hispanos am- phoras; ob bicongium Ciceronem, omnes Italos bicongios; ob Torquatum tricongium, omnes Gallos tricongios, sine ingenti calumnia dixerit scripseritve? Certè vivitur & bibitur hodie apud plerumq; Germanos modestius, quam apud ceteras fere nationes Europæas, neq; ita immoderate vina hauriunt, ut JAC. MENOCHII judicio & verbo, *palman ferant bibaces Germani*: neq; ita spurcè, quod HENR. STEPH. in *Apolog. Herodot.* falso refert, ut quot illi ca- lices super mensam, tot matulas sub mensa habeant, aut omnia vicem matularum præstent. Bibitur quidem à multis liberalius; sed

sed sine gravi Reipublicæ damno. Poëta quidam Germanus Italis, Germanorum sitim vehementiorem carpentibus, argutè respondit: *Ut nos dulce merum, sic vos Venus improba vexat.*

Lex lata est Veneri Julia; nulla mero.

Et si suus cuiq; populo adhærescit error; maneat, maneat istud vitium nostris, ait CLUVER. *Germ. Ant. l. i. c. 19.* dum graviora ab sint, levitas, fraus, dolus, perfidia, perjurium, blasphemia, immodica sed & inconcessa Venus in nuptas, in virgines, puellas, in pueros, in bruta animalia; quibus maximè urgentur exprobratores nostri. Sed alienis vitiis non tego nostrum, si modò nostrum est, quod commune est: cum habeam certum, *hodie nullà in parte mundi cessare ebrietatem.*

§. III. Accedit ad bibacitatem Germanicæ Nationi ab Italis potissimum tributam, Vini Apiani, quod in Monte Fiascone habetur, & *Vin moscato* vulgo vocatur, nunquam satis à quopiam laudata seu laudanda impostero præstantia. Præterquam enim quod in Italia quamplurima suavissimi Vini genera reperire liceat, quæ non tam Incolarum, quam Peregrinantium & adventantium gustum mirificè alliciunt afficiuntq; ; certè vix aliq̄d ex omnibus illis vinis inveneris, quod cum Apiano illo rectè comparaveris: Non enim omnia vina æquè esse salubria; neq̄ve omnia omnibus æquè convenire, non credo quempiam infitias iturum. In universum tamen, iudicio excellentissimi Medici DAN. SENNERTI *Instit. Medic. lib. 4. Part. 1. cap. 4. p. 757. col. a. ea vina optima sunt, quæ saporem habent medium inter dulcem & austerrum; sunt odorata & fragrantia, clara & fulva nonnihil; neq̄ crassa, neq̄ tenuia nimis, ad tenuitatem tamen nonnihil accedentia; neq̄ nimis potentia, neq̄ nimis debilia; etatis medie.* Cæterum non ignoti quod; fuerint Versiculi ex *Schola Salernitanâ* depromti, qui de boni Vini proprietatibus agentes ita sonant:

Vina probantur, odore, sapore, nitore, colore.

It. *Si bona Vina cupis, quinq; hec laudantur in illis;*

Fortia, Formosa, & Fragrantia, Frigida, Frisca.

Ubi ad vocem *Frisca* notari ea velim, quæ ARN. VILLANOVAN. in *Exeges. ad b. l.* attulit: Friscum, inquit, sive leve: Tale autem cum primis censendum, quod effundendo sonum efficit, spumamq; agit in medio tenuem ac facilè labilem vel evanescentem: vel per cujus fufuram modo sursum, modo deorsum discurrentes

tes conspiciuntur ἀπυρ, i. e. minutissima quædam corpuscula, qualia in Sole videntur, quum per fenestram radios ac lumen immittit. Nisi enim ita affectum fuerit, pendulum dicitur, ac multo etiam magis, si penitus sono atq; atomis destituatur. Quod verò spumam habet cum magnis ampullis ad scyphi latus diu hærentibus, debile, sive dilutum esse dignoscitur. Si jam contendere placuerit Vinum Apianum quod in Monte Fiascone venum exponitur, cum notis optimi vini hætenus allatis, vix ovum crediderim ovo esse similius: quam etiam ob causam factum fuisse conjicerem, ut Italus aliquis, vel ipse Vini hanc bonitatem pensiculando, vel à Germano quæpiam transeunte vinum istud laudari audiendo, ansam acceperit, de Germano ex nimio Vini illius potu extincto fabellam comminisset.

§. *IK.* Quid si verò conjecturâ ducerer ad suspicandum, Germanum aliquem, præsertim literatum, non ante multa adeo secula, illac transivisse, atq; gustatâ fortè hujus vini præstantiâ, à combibone suo interrogatum fuisse, essetne bonum vinum? uti aliàs sæpius peregrinantes hoc observant, ut in diversorium delati, ex illo socio, qui primum ibi vel vinum vel cerevisiam bibit, sciscitentur, bonus malusne potus sit? sicq; responso accepto, est, est, scil. bonus: Oenopolam hæc voculas notasse, lapidiq; sepulchrali, Germanis in opprobrium, insculpi curavisse: quod quidem eò melius peragi potuit, videndo antehac in templo monumentum aliquod, cui duo calices sive pocula incisa essent, unde præsumi posset, Virum sub saxo illo quiescentem ob crebriora exhausta pocula interiisse. Non aliter ac JAC. THOMASII conjectura est de *Paculo S. Johann. cap. 3. §. 27.* calicem Johanni Apostolo ideò appictum esse, quod ceteris quoq; Apostolis varia necis signa appicta sint, respectu potissimum habito ad verba Christi MATTH. XX. 23. *calicem meum bibetis*; Causam igitur hanc nescientes, (Pontificii,) vel nescienti plebeculæ falsam pro libitu persuasuri, facile eò se duci passi sunt, ut illam fabulam comminiscerentur de venenato, quem Johannes ebiberit, calice: Cui postea, ne, quod venenum esset, vinum fortè crederetur, & serpentem (è calice prospectantem) adungere jussi pictores: Similiter colligere ex animo meo licuerit, ceu quidem supra jam aliquâ ex parte factum est, aliquem ædilem improvidum & veri incuriosum, ceu SHOOK. in *Fab. Ham.* Inscriptionis Hamelenis autorem vocat, *Part. III. cap. III. p. 202.* sive ipsum

DE: (35.) : 284

ipsum Oenopolam, rudito, Germanos ob nimium vini potum maxime traduci, forteq; transeuntem Germanum ad Latine propositam quaestionem, an bonum, quod bibebatur, esset vinum, respondisse, est, est, *scilicet* bonum; viso deinceps etiam saxo sepulchrali ad altare in templo, calicem sive poculorum duorum figuram una cum Episcopi delineatione exhibente, in eam cogitationem devenisse, sepultum ibi esse germanum Episcopum, qui propter saepius iteratam voculam Est, i. e. haustus vini repetitos, extinctus fuerit, ideoq; ut ad posteros haec suae cogitationes propagarentur, lapidi quidam minori ad extremitatem dicti Saxi appposito, Epitaphium, quod hodie adhuc legi potest, incidi curavisse. Nolim tamen hisce meis conjecturis vim arrogare invictae veritatis, quin potius uti praecipitanda eras praesentis disputationis editio, aliasq; etiam secundum ARISTOPHANEM, in Pace:

Ἡ κῶλον ἀκαλαῶν τις ἐπιγεμῶν πύλας τίσει. i. e.

Cæca parit properato acalantibus tinnula nixa.

Sic supra subitanæ conjecturas omnia hæc mea æstimari haud cupiverim.

CAP. VIII.

De plurium aliorum Bibacium Interitu, Monumentis & Epitaphiis.

§. I.

Accuratior prætermittam hæc vice disquisitione, tum Bibacium vel aliorum quorumvis manifesto & in vulgus noto vitæ conspurcatorum memoria Monumentorum excitatione ac Epitaphiorum saxo inscriptione conservanda posterisq; tradenda si ea saltem nullo in medium adducere lubet Epitaphia, quæ Bibonibus hinc inde locorum confecta essent veteres quædam recentiora autem res annotantur. Suffecerit tamen usum vel aliquid hic excerpisse, cum omnia reperiendi neq; occasio aut facultas sit, neq; instituti ratio ferat. ATHENÆUM igitur, alterum illum Plinium graecum, in vario & erudito Delpnosophistarum opere evolvens, invenio, eum lib. X. p. m. 436. Historici nobilissimi Polæonem, cognomento *Helladicum*, mentionem facere, afferendo ex eius libro de civitate inscriptionibus Epigramma Arcadiorum heriens hocq;

Τὸ πολυκαίθαι τὴν ἑλίον Ἀρκαδίων,
 ἄσι ὠρῶσαν τὰς παρ' ἀτραπίων
 τῆς Δόρκων καὶ χαρμύλων. ἴσθη δ' αἰνῆ
 Ἀνθρωπ' ἐκ χαυδῆς ζυροπιῶν κύλων.

Qui versus à JAC. DALECHAMP. Latine redditi sunt h. m.

*Ebriof monumentum hoc Arcadionis
 Erexerunt ad viam, qua in oppidum itur,
 Ejus filii Dorcon & Charmylus: extinctus autem ille est,
 O viator, ore hiansi cum meri calicem ebiberet.*

Latinis versibus hæc eadem inclusa leguntur in *Theatr. Beyerli-*
ckian. Tom. III. fol. 292. col. 2. lit. E.

*Arcadionis habet tumulus hic ossa bibacis,
 Erectusq; urbis proximus ille via hinc.
 Charmylus, & Dorcon, posuerunt: Mortuus est vir,
 Dum magni calicis ebibit iste merum.*

Occasione horum versuum censoriâ liceat virgulâ notare L. BER-
 RLINCKIVM, qui cit. loc. Bibaci cuidam, incertum, ait, an Philippo
 Regi defuncto, hoc ipsum à Polemone obtigisse epigramma: Sed
 enim, Athenæo, qui ibidem productus est, inspecto, manifestum
 evadit, de Bibacis nomine nullum amplius superesse dubium, quod
 putâ unâ cum filiorum nominibus clarissimè expressum est; sed de
 Arcadione adhuc hodie incertum est, an is, qui cum Philippo si-
 multatem exercuit, (conf. PLVTARCH. lib. πβ' τῆς ἀσπρησιας,) atq;
 de eo sibi nondum constare Athenæus scribit, vel an alius quis-
 piam tali nomine insignitus fuerit? Scilicet magni libri latibula ple-
 rumq; sunt magnorum multorumq; errorum, vel, quemadmodum
 B. SCHVPP. loqui amat in *Orat. de Opinione: Magnus liber indicium
 quidem est magni laboris, sed ingenii judicij, non admodum magni.*

§. II. Regrediendo paulisper in dicto Athenæi Opere lib. X.
 p. 417. de Timocreonis sequentia occurrunt: καὶ Τιμοκρίων δ' ἰσθ-
 λῶ. πομπῆς καὶ ἀθλητῆς πένταθλῶ. ἐρίφωγος καὶ ἴππος, ὅς τ' ἴππῳ
 πείφει αἰνὸν Πίγγραμμα δηλῶ.

*Πολλὰ πῶν, καὶ πολλὰ φάγων, καὶ πολλὰ καὶ οἶκῶν
 Ἀνθρωπικῶς, καὶ μακρὰ Τιμοκρίων Ρόδιῶ.*

J. DALECH. Latine interpretatus est ita: Timocreon Rhodius poe-
 ta, athleta, & pentathlos, multum edebat, ac bibebat, ut ostendit
 epigramma insculptum ejus sepulchro:

Post-

37.)

Postquam multa bibi, multa comedi, & maledixi hominibus multis
Sum infectatus, hic jaceo Rhodius Timocreon.

In Notis marginalibus Athenæi loc. cit. Distichon hoc à quodam
Anonymo Latinis versibus sic redditum esse scribitur:

Postquam multa edi atq; bibi maledixaq; multa
Ingressi, hic jaceo Timocreon Rhodius.

Apud ERASM. ROT. in Adag. fol. 138. col. a. leguntur h. m.

Multum edi, multumq; bibi, mala plurima dixi in
Mortales, jaceo hic Timocreon Rhodius.

Alter iterum apud LU. GIRALD. in Poëtar. hist. occurrit:

Multa bibens, & multa vorans, mala multaq; dicens
Ipse viris, jaceo Timocreon Rhodius.

Malè apud Beyerlinck. in iisdem hisce citatis versibus legitur jaces
Timocreon, quippe id non tantum persona per Græcam vocem
σαμα expressæ, quàm etiam quantitati Prosodiacæ adversatur.
Paululum quoq; immutationis passi sunt hi versiculi à N. LLOYD
in dict. Hist. Geogr. fol. 705. col. 2.

Multa bibens, & multa vorans, malè deniq; dicens
Multis, hic jaceo Timocreon Rhodius.

Ex quâ unius Distichi variatione apparuerit credo, quàm varis sæ-
pè sapius errores in reddendis Græcis Latinè, in transcribendis
& in faciendis versibus non modò, sed & aliis quibusvis argumen-
tis contingere queant, ideoq; quàm maxime necessarium fuerit
propriis potius quàm alienis oculis fidem, uti in re qualibet, sic in
literariis præcipue adhibere.

§. III. Nonnulla seponere que Athenæum, siquidem librarius
ejus duodecimum Deipnosoph. p. 529. perlegenti Sardanapalla-
num sese offert Epitaphium, haud melioris, si cum prioribus con-
feratur, censis, & quidem transcribere illud mihi visum est, quod
probe sciam, Athenæum pauciorum manibus teri, & vitiosius ha-
bitis à quibusdam eodem recitatum esse; Latina tamen dun-
taxat Dalechampii versione utar, cum Græci simul textus addu-
cto, ut longiorem excursam faceret, hunc igitur in modum ibi
legas: Omnium felicissimus Sardanapalus cum toto vitæ decursu
voluptatem plurimè fecisset, post obitum declarat insculptis mo-
numento digitis, res hominum esse ridiculas, & nec digitorum di-
gnas strepitum, quem collisit inter se digitis duobus significavit, in-
sculptam vero vitam esse quæ impenditur reliquis. Sardanapalum

quidem rebus gerendis attentum fuisse inde liquet, quod ejus sepulchro sit inscriptum, *Sardanapalum Antacyndaraxis Filium, uno die Fastum & Anobialen edificasse, post, diem obisse*. Amyntas libro tertio de Mansionibus, altum esse tradit in Nino aggerem, dirutum & detractum humi a Gyro, cum illa civitate obsidione cincta, prope moenia, terrae tumulos erigeret. Aggerem illum, ut fama percrebuit, Sardanapali sepulchrum fuisse, qui regnarit in civitate Nino, Chaldaicisq; literis exaratum in saxeis pilis elogium, quod metrorum lege ac numeris Chæribus sic vertit:

Ego regnavi, & quandiu lucem Solis sum intutus,

Bibi, comedi, Venere exercui, quia scirem.

Breve tempus esse quo vivunt mortales,

Idq; multis permatationibus atq; molestis inquietum,

Ac eorum Bonorum quæ sum relicturus Fructum

Et Delicias alias percepturas: itaq; nullo cessavi die, quominus aperent.

Apollodorus (ut citat Aristophanis interpretes) tradit, Sardanapali sepulchro epitaphium hujusmodi, literis Assyriis inscriptum fuisse: *Edi, nini, dxi* sic nã dda d dxi ism a fca, i. e. Ede, bibe, utere Venere: nam cetera sunt nihil. *SVIDAS* hac forma refert ex *Callisthene*: *Σὺ γάρ, ἢ ξυν ἰσθῆ καὶ πῆν καὶ μὴ εἰς τὴν ἀλῆα ἀνασῆνα, ἢ ὄντα τῆς ἀξίας*, i. e. Tu vero hospes, ede, bibe, lude; tanquam ceteras res humanas, huius non faciens. vid. *FRASER. Rom. Adag. fol. 409. col. 1. C. MATTHIÆ Theatr. Histor. p. 42. STRAB. Geograph. lib. 14. f. 462. CLEMENS sub fin. lib. 2. Stromat. CIGERO lib. 7. QQ. Tusc.* ubi alias aliasq; inscriptiones monumenti Sardanapaliani reperire licebit.

§. IV. Seposito Athenæo, Beyerlinckianum Theatrum ingredi lubet, ubi præter Epitaphia seria, etiam jocosa quædam leguntur, ex quorum numero est illud, quod de Parasito quodam ibidem attulit *Tom 3. f. 292. col. 2. lit. E. Roma*, inveniendò, Epitaphium cujusdam PARASITI extra portam Capenam, ubi olim sepulturarum monumenta apud veteres Romanos posita erant, repertum fuit hujusmodi:

Hæc hic situs est, Offellus Bubalus, bibulus: qui dum

vixit, aut bibit, aut mixxit. Abi præcepit.

Referri huc etiam potest, quod *WOLFGANGO Bipontino Duci* nimia ingurgitatione extincto *Schola Parisiensis* inscripsit, esse vultus:

Pons

*Pons superavit aquas, superarunt pocula Pontem :
Febre tremens perlit, qui tremor orbis erat.*

*Senis Epitaphium, incertum cui factum, adhuc hodie legi dicitur
ejusmodi :*

*Vina dabant vitam, mortem mihi vina dedere ;
Sobrius auroram cernere non potui.*

*Ossa merum stiumt : vino consperge sepulchrum,
Et calice epoto, chare Viator abi. Valetate inebriati potatorum.*

*Ibidem in templo S. Dominici, Germano cuidam inscriptum esse re-
peritur Distichon hocce :*

*Vina dedere neci Germanum, vina sepulcro
Funde, stium nondum fuit atra dies.*

*Præter arguram epigraphen FIOLMO Gothorum Regi tristissi-
mum quoque casum obtigisse J. MASEN. in Famil. Argut. lib. 3. p. 380.
ex Jo. MAGNI de Regib. Svecor. atq; Goth. l. 7. c. 17. memorat: In-
ter suos, inveniendos, ille (scil. Rex) compotores noctem ex more
totam potando duxerat, jamque inter ebrios jactatus ebrius, in doli-
um cereali liquore plenum, quod pro explenda bibacium cupiditate
media fuerat aula collocatum, præcipitatus, fœnesto ludibrio auli-
corum occubuit, digno helluoni sepulcro, & hæc epigraphæ :*

*Multa bibens, & multa vomens, hoc vase Fiolmus
Postquam exhaustisset sepius, haustus obit.*

*Talem sibi ultro delegisse tumulum fertur GEORGIVS, Clarentiæ
Comes, inter Anglorum Oenophilos non postremus: Ille enim
affectati suspitione Regni apud Edwardum IV. fratrem Angliæ Re-
gem delatus, mori jussus est, sed arbitraria, quam ipse sibi delegis-
set, morte. Ergo ut delicatam inter suavissimæ potionis hau-
stus ebiberet, aut magis, evomeret animam, Malvatico sive
Cretico vas ingens vino ad vorum ipsius expletum est, in quod
dimissus, hiantemque sensim ore subsidens, denique prævalente haustu
submersus est. Cui par inscriptio convenire poterit isthæc :*

*Extra intusque madens Comes ista conditur urna,
Vivere qui simul hic desit, ac bibere.*

*Vid. J. MASEN. Fam. Arg. l. 2. p. 381. L. BEYERL. Tb. Vit. H. T. 3. f. 4.
col. 2. lit. H. G. CAMDEN. in Britann. p. m. 362. pluresque alios.*

*§. V. BONOSI quo minus me oblivio capiat, FL. VONISCVS
Syracus. facit, in cujus locum male SPARTIANVS à J. LIPSIO in Ep.
cent. III. miscell. p. 273. edit. Vesal. substitutus est, is enim (scil. Bono-
sus,)*

sus,) ait Vopisc. homo Hispanicus fuit, origines Britannus: Gal-
la tamen matre: ut ipse dicebat, rhetoris filius; ut ab aliis compe-
ri, pedagogi literarii, parvulus patrens amittit, atq; a matre fortis-
sima educatus, literarum nihil didicit. Militavit primum inter
ordinarios, deinde inter equites: dux ordines, tribunatus egit,
dux limitis Rhetici fuit: *bibit quantum hominum nemo.* De hoc Au-
relianus saepe dicebat; *Non ut vivat natus est, sed ut bibat.* Quem
quidem diu in honore habuit causa militiae. Nam si quando lega-
ti Barbarorum undecunq; gentium (non ex sola Germania, ut ali-
qui *Anglicis* scripsere,) venissent, ipsis propinabat, ut eos in-
ebriaret, atq; ab his per vinum cuncta cognosceret. Ipse quan-
tumlibet bibisset, semper securus & sobrius; & ut *Onesimus* dicit
scriptor vitae Probi, adhuc in vino prudentior. Habuit praeterea
rem mirabilem, ut *quantum bibisset, tantum mingeret*: neq; unquam
aut ejus pectus, aut venter, aut vesica gravaretur. Hic idem
quum quodam tempore in Rheno Romanas luforias Germani in-
condissent, timore ne poenas daret, sumit imperium: idq; diuti-
us tenuit quam merebatur. Nam longo graviq; certamine a Pro-
bo superatus, laqueo vitam finivit. Tunc quidem jocus extitit,
Ampboram perdere, non hominem. Unde mihi quondam epigrapha
nata est ista:

*Amphora qui vivens, moriens velat Amphora perdet,
Sicce manet vitâ morteq, semper idem.*

FR. SWERTII Epitaphia Joco-seria Latina consulendo, utut pluri-
ma inde huc spectantia epitaphia excerpi possent, attamen tem-
poris Disputationisq; ratione habitâ *Tria* saltem adducam: *Primum*
legitur pag. 105.

Matthaei Finck, Germani.

Hic jacet extinctus quondam venerabilis FINCKVS,

In rubra toga, pro eo Deum roga.

Crius olim venter bibit Corsica vina libenter,

In fide sincera & charitate vera.

Secundum satis inconditum horridumq; extat p. 80,

Patrimonii absumtoris.

Hic jacet ille, qui fuit unus inter mille,

Semper manet & serò cum sua plenissima pera;

Omnibus hic gratus, quia bipsit in caritate.

Post pauper factus, est ad patibulum tractus,

Hec

*Hoc fecit mihi vix, quia nullam dedit mihi Vale,
Nec mihi hoc dixit sua quando mater mortis.
Quisquis transis apud, memento flectere caput,
Deus humiliter tria lignos PATER NOSTER.*

Tertium p. 196. invenitur: POTORIS.

*Hic jacet, Et tecto stillantes excipit undas,
Assidens calicem qui TRAHO nuper erat.
Hoc unum metuit vitis male siccis obire,
Nunc quodq; ne pereat deciduo timbre cavet.*

*§. VI. Restat ut duorum Orientis Imperatorum celebrata,
ad aeternam nominis infamiam ebrietas clausula loco hic quoq;
producantur. Erat alter ZENO, in quo consveta temulentia nihil
hominis relinquebat simile, ut ab extatico et mortuo, jam vino op-
pletus, parum differret. Igitur per Ariadnam conjugem, tantâ in-
visus turpitudine, sic inebriatus in monumentum imperatorium
conjectus est, lapide maximo, qui pro operculo erat, imposito.
Nec profuit ad mentem sobrietatisq; reverso, lamentis, ejulati-
busq; sub terreno illo carcere obtudari. Vivus in funesto hoc
mortis antro fortunam Imperatoris animamq; infelicem, lento
tristiq; furo, miserante nomine, exuere coactus est. Cui hanc
monumenti inscriptionem reliquit J. MASON. loc. paulo ante in-
dicato:*

*Hic Imperator Zeno jacet,
Ebrietas volutus in caeno:
Extra sepulcrum mortuus,
In sepulcro vivus:
Qui tunc sapere incepit, cum desuere.
Et sentit se ferre ageret,
Hic postquam edormisset crapulam, egit animus.*

*Alter in purpura bello MICHAEL ejus nominis Imperator Orien-
tis creatus, qui per ebrietatem jus istiq; evertabat, atq; indignissi-
mè suis mactabat precibus, alios curibus mactabat: Basilis est
etiam principis militum Ducis, quemq; dignum imperio; habebant im-
perio, se illis, ut illi et remigens Basilium per basum crearet ebo-
ris Cæsarem, atq; insignibus regis adhibitis, multo hæc illi quam
Basilis aptiora predicaret. Unde cum sibi Basilium solissimum
hæc tunc ad verum sentiret, sed illius vitæ in venatione in illa-
tus esset, Basilium preoccupandum ratus Michælem, vino sepul-
tum*

tam, noctu invadit, & nequicquam obluantem confect, opibus ipse potitus atq; imperio. Itaq;

*Sto viator & luge,
 Michaëlem Imperatorem ante morbum mortuum,
 Qui diu tumultuatus in terra,
 Sub terra deniq; tumultatus est:
 Bis sepultus,
 Vivus in amphora, mortuus in urna.*


Quæ quidem omnia ex J. MASENII supra nominato libello, tanquam ab argumento præfenti non profus abhorrentia, excerpere placuit, verbisq; illius, quod *Zonaram* ab eo citatum non haberem, recensere. Clausulæ loco unicam adhuc epigraphen annectere placet, ridiculam nescio magis & simplicem, an impiam & mordacem, quam apud LVD. ab *Hörnig de Acidul. Swalbac. quest. 81. p. 223.* taliter reperire licet:

*In dieser Welt hab ich mein Lust
 Allein mit kalten Schaln gebüß/
 Hilf mir & Er in dein Freuden-Saß/
 Und gib mir d' ewige kalte Schaal.*

Quod Epitaphium sibi metipsum fecisse dicitur aliquis homo, qui dum viveret, Vivam sive potius Intritam ex pane, saccharo, vino vel cerevisiâ confectam, summis in deliciis habebat. Scilicet eo jam in orbe isto malignissimo deventum est, ut vitiis interdum idem, qui Virtutibus deberetur, honos exhibeatur. Nos autem hic filum dicendi abrupturi, quis enim singulos vellet tangere, qui fortiter hoc certarunt certamen? ea quæ superius quo ad Familiam Titulumq; *Ferdinand. Alberti* minus rectè apposita sunt, hic loci adhuc mutare ac inferere, ut æquum sic necessarium esse ducimus, habentq; se h. m. REVERENDISSIMVS ET SERENISSIMVS PRINCEPS AC DOMINVS DN. FERDINANDVS ALBERTVS DVX BRUNSWIC. ET LYNÆBURGENS. CANCIVLL. EPISCOPAL. EVANGEL. ARGENT. SENIOR. quibus addas licet *PHIL. JAC. SERRER Syllog. Gentat. in Famil. Brunsvic. pag. 515.* Ceterum omnibus & singulis, præcipue Theologis Studiosis Frugalitatem ejusq; comitem Sobrietatem, quæ pararia est omnium Virtutum, commendantes, cum illo Apostoli S. PETRI ex Ep. I. cap. V. vers. VIII. finimus:

ἡψατο, γερογίαν, ὅτι ἡ ἀσθένεια ὑμῶν ἀγαθὰ ἔστι, ὡς λίαν αἰσχροφροσύνη, ἡ δὲ ἀσθένεια ἡμῶν κατὰ τὴν...

(43)



Montefalconum fectus fatale Apianum
Quondam Germano forte fuisse Viro.

GEYSIVS ac negat hoc; ait Italus: Hinc uter
horum

Vera dat? Hic odio ducitur, ille fide.

Pergas **GEYSIADES** Commenta explodere! Veri
Sic Te Amor ad veni ducet Honoris iter.

*Pio, Docto & dignissimo quovolibet Favore,
D.N. GETSIO.*

*Audiret suo habitus quod publice quia private
maxime fido, Successus Studiorum prosperi-
mas precantibus.*

PRÆSES.

II.

O Equis lubras studeo cogitanda deus
Adiungo Peridam Te quoq; Phobus agit.


In applando Tuis haud infelicibus ansis,

Et precor, ut quicquid dicere jure queat:

GETSIVS est superis gratia, mortalibus aequè,

Est; & ob hoc est, est, est Tibi magnum honor.

Hac in Pythia amicitia offeram Per-Eximio
Dni Respondenti, Constantino suo maxime
solento subibere velut, ut debuit



J. G. STELLWAG.

III. Bo.

B Onum EST, honestum EST, utile EST, laudabile EST,
 Absconditum quod EST, factis quod abditum EST
 In publicam vulgare litteram: Candidum EST,
 Signumque mentis candida EST, inquirere
 Verum quod EST: Fidelis EST, hominum fidem
 Qui liberat: Vir EST & EST laudabilis,
 Qui se facetur Teutonem factis, fide.
 Et talis EST, qui disputabit PROPTER EST,
 EST GEYSIVS, qui laude dignus semper EST,
 Vulgaribus nec evchendus laudibus.
 Hinc carmen EST presens, fidelis pectoris
 Suspirium hoc felicitatis optima EST
 Delineatum, amoris atque cessera
 Nam fabulam dicit, quod EST ferè omnibus
 Et fabula, & mandatum pol scepticum EST.
 EST Teuto, liberat fidem nam Teutonem,
 Hinc gratus EST, multis ERIT mox PROPTER EST.

*Pereximio atq. Doctissimo Dn. Respondenti atque
 Amico Certissimo scribere hac voluit*

GEORGIUS BENEDICTVS FABER,
 Oetinga-Rhoetus.

FINIS.

